

nobis assignare principium, quare his adven-  
tur potius, quam illis. Immo clare deducitur  
prædictos actus ex specie sua nulli peccato veni-  
nali opponi. Primum enim est in intelligibile,  
alias minimum actum charitatis eliciens munda-  
retur ab omni peccato veniali. Si autem dicatur,  
quod actus dum est fervidus, id est, intensior,  
quam gratia, à qua elicitur, excludit omnia  
venialia, est improbable, alias ad remissionem  
peccati venialis necessaria foret semper intensio  
physica gratia. Adde, quia charitatem esse fervi-  
dam non regulatur per intensiorem actus: nam  
si hoc ita esset, qui minimam gratiam haberet  
semper esset tepidus, qui vero intensam, fervore  
polleret, & sapè accidit e contra, ut patet in in-  
cipientibus.

Confirmatur, & probatur quod attritio  
elicta ab homine iusto non sit sufficiens pro  
remissione venialium: nam hæc ex specie sua  
non detestatur venialia ex motu charitatis,  
aut penitentia, nempe, quia Deum offendunt,  
& ab ipso divertunt, sed ex alio motivo inferio-  
ri, ob quam rationem non opponitur venialibus.  
Sed à charitate non participat, quod propter ta-  
le motivum illa detestetur, alias transiret in con-  
tritionem: ergo non est sufficiens ad delenda veni-  
alia.

Adde, quod in pura natura non facile ap-  
paret per quid venialia deleantur, vel assignen-  
tur.

Ad argument. respondetur quemlibet  
actum charitatis posse omnia venialia excludere,  
& propterea docet D. Thom. 3. part. quæst.  
79. art. 4. ad 2. quod homo potest in hac vita  
esse sine peccato veniali, licet non diu, & quæst.  
87. art. 1. inquit, quod vnus actus charitatis  
potest delere omnia venialia sine actuali cogni-  
tione eorum. Quandoque etiam potest excludere  
aliqua, & forte nullum, quin ex hoc liceat in-  
ferri persè non opponi venialibus. Pro quo est  
notandum, quod actus charitatis est privative  
vis ordinativa in Deum vltimum finem super-  
naturalem, de cuius ratione est, quod habeat  
materiam necessariam, eam, nempe, quæ con-  
stituit finem, vel fini essentialiter annexitur:  
aliam liberam, quæ ad talem finem essentiali-  
ter non conducit. Ad hoc ergo vt excludat veni-  
alia, opus est, vt applicetur, & ordinetur ad  
ea detestanda, & hoc pacto venialia ipsa delentur,  
omnia, si ad omnia: nulla, si ad nulla:  
aliqua, si ad aliqua. Nec ex hoc inferas ex na-  
tura rei non opponi venialibus: siquidem aliud  
est, quod non necessario opponatur; aliud,  
quod non opponatur persè, & non sit sufficiens  
ad ea delenda. Sicut aliud est voluntatem non  
necessario imperare motum externum, aliud non  
imperare persè. Primum est verum, ad quod  
sufficit charitatem, aut voluntatem non esse  
necessitatem. Secundum est omnino falsum,  
quia si charitas se applicat ad delenda venialia,

persè ea delet, sicut volitio persè imperat motum  
externum, si semel se applicat ad imperandum.  
Ex quibus patet actum esse fervidum non consi-  
stere in maiori intensiōne actus, sed in prædicta  
applicatione.

Ad confirmationem respondetur ex dictis  
num. 120. quod licet attritio ex specie sua non  
detestetur venialia sub motivo sufficienti ad ea  
delenda, prædictum tamen motivum potest im-  
perari à fine charitatis: nam idem ordo est in fi-  
nibus, ac in agentibus; & ex vi prædictæ subor-  
dinationis transvolat ad actum charitatis, & con-  
tritionis virtualem.

Ad additamentum respondetur: peccatum  
veniale in pura natura, sicut in statu elevatio-  
nis consistit in diversione à Deo vltimo fine,  
aliter tamen & aliter: nam in præsentī providen-  
tia divertit ab eo vt sine supernaturali, & in na-  
tura pura ab eo vt sine naturali. Neque offensa  
ex prædicta diversione moraliter orta aliquid à Deo  
tollit, nisi extensionem sui ipsius vt finis natura-  
lis. Unde sicut in præsentī providentia ad delenda  
venialia necessaria est actualis conversio in  
Deum vltimum finem supernaturalem, quæ ha-  
betur per gratiam, ita sufficiens est ad ea delenda  
in natura pura conversio efficax ad ipsum Deum  
finem naturalem, quam viribus proprijs potest  
tam potentia antecedenti, quam consequenti eli-  
cere, si prædicta natura non est infecta peccato  
mortali.

## DISPUT. II.

## De Merito iusti.



Eractis iam, quæ ad primum  
effectum gratia, & in gene-  
re cause formalis spectant,  
merito pergitur cum D.  
Thom. in quæst. 114. se-  
quenti ad explicandum præcipuum eius effectum  
in genere cause efficientis moralis, qui est meri-  
tum apud Deum. Meritum autem dicitur à D.  
Thom. in præmio præcitate quæst. effectus gratia  
cooperantis, sicut iustificatio effectus gratia  
operantis, cuius rationem optimam ipse Angeli-  
cus Doct. tradit supra quæst. 111. art. 2. siqui-  
dem effectus gratia operantis dicitur ille, in  
quo mens nostra non est movens, sed vnice mo-  
vetur à Deo: effectus autem gratia cooperantis  
est ille, in quo anima ita movetur à Deo, quod  
etiam moveat: Sic igitur (concludit) habitua-  
lis gratia in quantum animam sanat, vel iu-  
stificat, dicitur gratia operans: in quantum  
verò est principium operis meritorij, quod ex  
libero arbitrio procedit, dicitur cooperans. Ex  
quibus verbis satis colligitur meritum, quod  
ad hæc disputationem spectat, esse effectum gra-

gra-

gratia, verfarique apud Deum, quod dividit-  
tur in congruum, & condignum: meritum de  
condigno dicitur illud, quod in æstimatione  
prudenter habet æqualitatem cum præmio:  
meritum de congruo est illud, quod non habet  
æqualitatem cum præmio, habet tamen aliqua-  
lem proportionem cum illo fundatam in amicitia  
Dei: nam congruum est, quod si homo in  
gratia constitutus adimplet voluntatem Dei, &  
facit quod in se est, Deus ipse adimpleat homi-  
nis voluntatem, vt tradit Mag. Ang. infra art. 6.

Inter has duas rationes merendi plura re-  
periuntur discrimina. Primum est, quod meri-  
tum de condigno potest fundare debitum ex iu-  
sticia simpliciter, si adsit pactum remunerantis,  
secus verò meritum de congruo propter inæqua-  
litatem cum præmio. Secundum est, quod ad me-  
ritum de condigno requiritur ex parte præ-  
miantis aliquod pactum saltem implicitum, vt  
infra videbimus, quia debitum ex iusticia ne-  
quit in Deo resultare absque prædicto pacto, se-  
cus verò ad meritum de congruo. Tertium est,  
quod merito de condigno, quod est tale in actu  
secundo, nempe, ratione pacti, infallibiliter  
conferitur præmium à Deo, quia est iustus iu-  
dex. Meritum autem de congruo, cum ex se tan-  
tum fundetur in amicitia, potest à consequente  
premiij impediri, nisi adsit promissio divina,  
quia tunc ex fidelitate debetur, sed hoc est extra  
naturam meriti de congruo. Quibus scitis inquie-  
ritur primo.

## DUBIUM I.

An homo verè, & propriè, seu de condig-  
no possit aliquid à Deo me-  
reri?

PRO intelligentia terminorum nota  
primo meritum verè & propriè il-  
lud dici, in quo ex parte merentis datur ali-  
quod ius ad præmium: & propterea meritum  
definitur, quod est opus, cui debetur præmium  
vel est opus conferens ius ad præmium. Et hac  
ratione meritum illud, quod fundat ius in sola  
misericordia divina, aut in liberalitate, & bo-  
nitate Dei, non est verè, & propriè meritum ad-  
huc imperfectè, sed tantum metaphoricè, & im-  
propriè, mercedeque est, merum, & gratuitum  
beneficium: & ita se habent opera omnia in pec-  
cato elicta, iuxta illud Eccles. 34. *Dona iniquo-  
rum non probat Altissimus.* Ius autem ex parte  
merentis potest esse duplex: nam aliud est secun-  
dum quid, & aliud simpliciter. Primum tantum  
fundatur in titulo amicitia: amor enim, & ami-  
cicia (ait D. Thom. in 4. dist. 15. quæst. 1. art.  
3. quæstionc. 4.) amicorum bona faciunt esse  
communia. Posterius verò fundatur in titulo iu-  
sticia verè, & propriè talis, qualis est commu-  
nativa, distributiva, aut legalis.

Hinc oritur dubium cum D. Thom. in  
præf. art. 1. vbi docet in ordine ad Deum non  
dari iustitiam simpliciter talem, sicut nec ius-  
tum, propter summam inæqualitatem inter  
Deum, & hominem: ex quo inferatur in homi-  
ne non salvari rationem meriti simpliciter  
in ordine ad Deum, sed tantum secundum  
quid.

Sed pro huius luce; nota secundo particu-  
lam simpliciter posse sumi dupliciter. Primum,  
ita ut simpliciter sit idem, ac absolute tale sine  
addito diminutive, aut alienante, in quo sen-  
su D. Thom. supra q. 21. art. 4. concedit homi-  
ni ad Deum meritum simpliciter scilicet absolute,  
absque vilo addito. Secundò ita ut simpliciter  
idem sit ac perfectum & completum, ac tale om-  
nibus modis: in quo sensu solus Deus est ens  
simpliciter, quamvis substantia creata sit ens  
simpliciter comparative ad accidens. Meritum  
ergo perfectum, completum, & simpliciter ta-  
le omnibus modis est illud, quod observat om-  
nes conditiones rigorosæ iustitiæ: & iuxta hæc  
acceptioem meritum vnus hominis potest esse  
simpliciter tale erga alium, & satisfactio Chri-  
sti pro genere humano fuit ex toto rigore iusti-  
tiæ, vt probabilius docent Nostros 3. part.  
quæst. 11. Meritum verò, quod est tale simpli-  
citer & absolute; sed non perfectum, & com-  
pletum, erit illud, quod habet condignitatem  
cum præmio, fundatque debitum ex iusticia sive  
distributiva, sive commutativa; non tamen ob-  
servat condiciones omnes rigorosæ iustitiæ, quod  
verificari non valet, nisi interveniat aliquod  
pactum ex parte Dei præmiantis, vt infra vide-  
bimus.

Hinc debet supponi tanquam certum de  
fide, hominem posse mereri aliquid à Deo ve-  
rè, & propriè merito de congruo, vt colligi-  
tur ex pluribus testimonijs sacrae paginae, SS. PP.  
& Conciliorum præcipue Trident. sess. 6. cap.  
16. can. 26. & 32. vbi contra Lutheranos, &  
Calvinistas definit, hominem iustificatum bonis  
suis operibus verè mereri augmentum gratia, &  
gloria, necnon ipsius vitæ æternæ consequen-  
tiam: cuius decretum debet saltem intelligi  
de merito de congruo proprie dicto, & supra  
explicato.

Etiam debet supponi, vt quid indubita-  
tum apud omnes Theologos, hominem non  
posse mereri à Deo aliquid de condigno, ita ut  
meritum illius, adhuc supposito pacto, fundet  
debitum ex toto rigore iustitiæ, seu cum om-  
nibus conditionibus rigorosæ iustitiæ. Nam ad  
hoc genus meriti ultra alias condiciones requi-  
ritur, quod opus, in quo meritum consistit,  
non sit sub dominio remunerantis, nec fit ei  
alio titulo debitum, nec fundetur in gratia ip-  
sius remunerantis: constat autem, quod omnia  
opera nostra meritoria sunt perfectè sub domi-  
nio Dei, pluribus titulis ei debita, fundantur-  
que

que non solum in gratia creationis, ut volebat Pelagius, sed etiam in gratia speciali ipsius Dei, non qualicumque, sed habituali & iustificante: ergo meritum nostrum nequit esse simpliciter tale, hoc est perfectum, completum, & fundans debitum secundum omnes condiciones rigorose iustitiae. Totum difficultatis pondus tantum habet locum in merito de condigno, seu simpliciter tali, quod non observat omnes condiciones rigorose iustitiae.

Circa quam fuit error Lutheri, & Calvini negantium bonis operibus iustorum veram, & propriam rationem meriti: vel quia negant liberum arbitrium: vel quia asserunt omnia opera iustorum esse peccata, quae duo principia tanquam haeretica proscripserunt à Trid. sess. 6. can. 4. & 18. & 25. & proprijs locis eliminata manent, & propterea de eis non est in praesenti disputandum. Vel quia putant fieri iniuriam meritis Christi, quorum intuitu iustus conferatur gratia, si ultra ipsa etiam requirantur merita humana ad gloriam consequendam. Quod fundamentum est etiam haeticum, immo & ridiculum: quia Ecclesia catholica ita fatetur merita humana, quod dicat esse derivata à meritis Christi ex abundantia virtutis ipsorum. Unde sicut non fit iniuria causa primae concedendo causas secundas ex dignatione, & bonitate illius, & non ex indigentia: ita non fit iniuria meritis Christi concedere merita nostra, si concedatur, quod haec dependent ab illis, ita ut merita Christi ex se sint sufficientia, & eorum efficacia communicetur ex dignatione meritis nostris.

¶ Sed non defuerunt haeretici, ut testantur cum pluribus Serna in suo tract. de Merito iusti, Operibus Ferre inserto, qui ex una parte concedunt dari bona opera iustorum Deo placentia, quibus Deus ipse tribuit remanerationem; & ex alia negant, huiusmodi opera esse verè meritoria de condigno, praecipue gloriae: quasi non tribuant iustus aliquid ius, ratione cuius illis debeatur gloria, sed praecise ratione liberalitatis, & promissionis. Qua in re videtur Vazquez convenire cum haeticis concedens meritum de condigno absque iure, & debito, etiam si intercedat pactum, ut videtur potest in praef. disp. 213. & 1. part. disp. 85. num. 46. & solum in nomine differat ab illis, in quantum ad meritum simpliciter tale, iuxta ipsum, non requiritur ius ex parte operis: & iuxta praedictos haeticos meritum tribuitur ius ad mercedem, quae est intelligentia communis Catholicorum; sed revera convenit cum illis concedens in re totum, quod concedunt haeretici, cum tantum concedat, sicut & illi, debitum ex fidelitate, aut gratitudine.

Insuper alios catholicos referuntur Durand. Arimin. Marfil. Burgenf. Albertus Pyghius, & alij negantes operibus bonis iusti meritum de condigno respectu gloriae. Sed hi tantum lo-

quantur, ut alicui volunt, de merito ex toto rigore iustitiae supra explicato. Alij distinguunt duplex meritum de condigno: aliud, quod habet in se intrinsecum, & aequalem valorem cum gloria; aliud non nisi ex favore extrinsecum: & ex illis hoc posterius concedunt, sed prius negant. Ita Durand. in 2. dist. 27. quaest. 2. & Scotus in 1. dist. 17. quaest. 1. art. 1. Sed communis sententia est, quod homo iustus potest mereri à Deo de condigno vitam aeternam, cum qua fit.

## §. I.

## Communis sententia.

¶ Dicendum est primò, hominem potest gratiam posse verè, proprie, & de condigno mereri aliquid à Deo. Et probatur primò ex Scriptura: Nam meritum de condigno, prout distinctum à merito de congruo, est illud opus, quod habet condignitatem cum praemio; sed iuxta Scripturam opera bona iustorum habent condignitatem cum aliquo praemio conferibili à Deo: ergo homo potest de condigno aliquid mereri à Deo. Minor probatur ex illo Sap. 3. *Deus tentavit eos, & invenit eos dignos se:* & ex illo ad Colos. 1. *Gratias agens Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.*

Confirmatur. Nam merces correspondet merito de condigno, iuxta illud Apost. ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum;* sed secundum Scripturam bonis operibus iustorum respondet merces apud Deum, ut constat ex illo Sap. 5. *Iusti in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum:* & ex illo Matt. 5. *Merces vestra copiosa est in caelis:* ergo iuxta Scripturam datur meritum de condigno homini in ordine ad Deum.

Confirmatur secundò. Nam quod datur à Deo ut iusto iudice, non datur nisi ob meritum de condigno: quod enim conferitur ob meritum de congruo, absolute conferitur ex misericordia; sed Scriptura docet, Deum retribuere ut iudicem bona opera iustorum: unde Apost. 2. ad Thimoth. 4. ait: *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus iustus Iudex:* ergo idem quod prius.

Et probatur ratione satis congruenti: Nam in omni republica bene ordinata opus est, ut membra illius spe praemij ad bonum alliciantur, & timore supplicij à malo arceantur; sed Deus est Rector universi, & praecipue creaturae rationalis: ergo congruum fuit, quod homini proponerentur praemia, quae possent mereri de condigno: ergo defacto homo potest mereri aliquid de condigno. Hoc ultimum consequens constat ex primo. Et primum ex praemissis: si-

qui-

quidem ex ijs inferitur, hominem bene operantem certò consequatur esse praemium, quod est proprium meriti de condigno, & non meriti de congruo, ut nam. 1. dictum est. Quam rationem desumpsimus ex D. Thom. supra quaest. 21. art. 4.

Confirmatur alia ratione D. Thom. ibidem in argument. *Sed contra*, quae potest reduci ad praecedentem: Nam Deus est supremus Iudex, de quo dicitur Ecclesiast. cap. ult. *Cuncta, quae sunt, adducet Deus in Iudicium, sive bonum, sive malum:* ergo datur meritum de condigno in ordine ad Deum. Probatur consequentia: nam iudicium importat retributionem, quae fit secundum iustitiam; sed meritum de condigno dicitur respectu retributionis, quae fit secundum iustitiam, secus verò meritum de congruo: ergo homo meretur aliquid de condigno à Deo.

¶ Probatur alia ratione congruenti: Nam licet non possit dari meritum de condigno hominis apud Deum, ita ut propter solam bonitatem operis humani Deus obligetur ad retributionem; non tamen repugnat, quod obligatus maneat ad illum retribuendum secundum aliquam veram rationem iustitiae ex vi alicuius promissionis, & pacti onerosi initi ex parte Dei cum homine, quod dari defacto constat ex sacra pagina, ut infra videbimus; sed huiusmodi opus potest alias habere condignitatem cum praemio: ergo nihil ei deest ad hoc, ut sit meritum de condigno. Patet consequentia: nam ad veram rationem meriti de condigno apud Deum nihil aliud desideratur nisi debitum, ortum principaliter ex ordinatione divina, ut loquitur D. Thom. in praef. art. 1. praesertim ad 3. art. 4. necnon Trident. sess. 6. cap. 16. & ex condignitate operis. Et propterea si Princeps promississet se compensaturum aliqua mercede servorum suorum obsequia habentia condignitatem cum illa, proculdubio haberent verissimam rationem meriti de condigno, licet debitum ex parte Principis oriretur non ex sola condignitate operis, seu obsequiorum, sed principaliter ex Principis promissione.

¶ Dicendum est secundò, in homine iustificato posse dari meritum de condigno respectu vitae aeternae. Haec assertio colligitur ex adductis testimonijs sacrae Scripturae: siquidem ex illis constat, quod iustus per sua opera bona efficitur dignus vita aeterna: constat etiam, quod vita aeterna est corona iustitiae, necnon merces praedictorum operum: constat denique, quod vita aeterna redditur secundum iudicium iustitiae; sed condignitas ad praemium est propria meriti de condigno, neque merces, & corona, aut iustitiae iudicium responderet merito de congruo, sed merito de condigno: ergo iuxta Scripturam iustus per sua opera bona meretur de condigno vitam aeternam. ¶ Deinde probatur

ratione: nam ad meritum de condigno vitae aeternae, supposito pacto, sufficit, & requiritur, quod valor intrinsecus meriti aequat valorem praemij in aeternatione morali; sed opeta ex gratia procedentia aequant in valore vitam aeternam iuxta aeternationem prudentum: ergo homo iustus per ea meretur de condigno vitam aeternam. Minor probatur: nam gratia in aeternatione morali aequat valorem vitae aeternae, maxime in nostra sententia, iuxta quam est simpliciter perfectior vita aeterna, seu visio beatifica; sed actus procedens à gratia accipit valorem ipsius gratiae: omne enim principium alicuius actus communicat suum valorem, & efficaciam ipsi actui: ergo actus procedens à gratia in aeternatione prudentum aequat valorem vitae aeternae.

Respondet, quod sicut actus meritorius procedit à gratia, à qua recipit valorem, etiam visio beata procedit ab ea, & recipit suum valorem, unde ex hac parte aequiparantur. At comparatio debet fieri non inter gratiam, & visionem beatam, sed inter actum meritorium procedentem à gratia, & visionem procedentem etiam à gratia, & hoc pacto actus meritorius non aequat in valore visionem beatam. Be propterea D. Thom. supra quaest. 113. art. 9. docet, quod donum gloriae est maius absolute, quam donum gratiae: quam conclusionem Angelici Praecept. explicant NN. Salm. tract. 15. disp. 4. num. 40. & vnanimiter eius discipuli de glorificatione, prout importat gratiam consummatam, lumen gloriae, visionem essentiae divinae per modum speciei, & visionem beatam: vel de glorificatione, prout dicit statum omnium bonorum aggregatione perfectum.

Sed contra est primo: nam valor actus meritorij potius debet attendi secundum dignitatem, quam habet à gratia, quam secundum perfectionem physicam actus; sed esto visio beatifica excedat physice physicam perfectionem actus meritorij, non verò valorem, quem recipit à gratia: ergo potest de condigno mereri vitam aeternam. Minor probatur: nam, ut in comparatione proposita stemus, visio beatifica secundum dignitatem physicam non excedit physicam perfectionem gratiae, ut nunc supponimus, deinde valor, quem habet à gratia, est eiusdem rationis cum valore, quem actus meritorius habet à gratia: ergo si valor meritorius praecipue attenditur secundum dignitatem gratiae, manifeste sequitur actum meritorium procedentem à gratia aequare absolute vitam aeternam, & non solum secundum aequalitatem proportionis, quam tantum concedunt plures Auctores tam intra, quam extra scholam D. Thom. Hoc etiam cernere licet in vita aeterna, prout est aggregatio omnium bonorum, si separemus in illa ea, quae cadunt sub merito, ab eis quae non cadunt: nam gratia secundum suam

quam substantiam non cadit sub merito, sed praeiuste vt consummata, quo pacto addit quendam modum supra seipsam: nec vnio essentiae divinae per modum speciei prout se tenet ex parte Dei, & est indistincta ab ipsa essentia divina, cadit sub merito, vt non obscure colligitur ex D. Thom. 1. part. quaest. 23. art. 5. vbi ait: *Nullus fuit ita insana mentis, qui diceret merita esse causam divinae praedestinationis ex parte actus praedestinationis; sed valor meritorius desumptus à dignitate gratiae absolute adaequat cetera omnia, quae ad statum beatificum, seu ad aggregatum omnium bonorum spectant: siquidem gratia secundum substantiam accepta excedit quemlibet modum illi accidentalem, excedit etiam vnionem essentiae divinae, prout se tenet ex parte beati, lumen gloriae, & visionem beatam, si secundum suum esse physicum fumantur, & consequenter omnia alia bona, quae ex ea resultant, & tandem adaequat valorem, quem visio recipit à gratia: ergo idem, quod prius.*

Secundò. Nam in beatitudine potius attenditur id, quod habet in se secundum suum esse physicum, quam id, quod habet à gratia: quia quoad rationem beatitudinis eiusdem esset ratio, si per possibile, vel impossibile non procederet à gratia, cum in ea praecipue attendatur, quod sit consequentia Dei, vt liquet in visione beata Christi, quam de potentia absoluta potest mereri, sed vt primum non dicitur infinitatem desumptam à persona, aliàs esset primum adaequatum merito illius, & non posset de condigno mereri nobis gratiam, & cetera dona: e converso in actu meritorio praecipue attenditur valor procedens à gratia; sed haec absolute excedit visionem beatam: ergo actus meritorius habet valorem aequalem absolute cum vita aeterna. *Explicatur hoc:* Nam eodem modo comparatur visio beata vt haereditas ad gratiam, sicut ipsa visio vt corona, & merces ad actum meritorium; sed gratia adaequat absolute, immo excedit visionem, vt haereditas est, iuxta illud *si filij, & haereditas*; siquidem gratia constituit hominem filium Dei adoptivum, & filiatio non est propter haereditatem, sed e contra haereditas est propter filium, & magis assumatur à Patre filius, quam regnum: ergo idem dicendum est de actu meritorio respectu ipsius visionis per modum coronae. Probatur consequentia: nam ideo hoc verum est in visione per modum haereditatis, quia in ea praeceditur id, quod habet à gratia, & gratia aliàs excedit visionem: ergo etiam in ea per modum coronae praeceditur id, quod habet à gratia; sed in actu meritorio praecipue attenditur id, quod habet à gratia: ergo haec si excedit visionem, etiam actus meritorius excedit, vel saltem adaequat absolute moraliter visionem per modum coronae.

Tertiò. Nam valor tam ex parte meriti, quam ex parte praemij non tam attendi debet secundum id, quod habent in esse physico, quam secundum id, quod habent in aetimatione morali, & contingere potest, quod actus meritorius non adaequet physice valorem praemij, & adaequet in aetimatione morali, sicut aurum, vel argentum non adaequat physice equum, & illum adaequat absolute in aetimatione morali; sed actus procedens à gratia se habet huiusmodi respectu ad gloriam ex dignitate gratiae, quamvis visio in esse physico excedat physicam entitatem actus meritorij: ergo ex hac parte est aequalis absolute cum vita aeterna saltem in aetimatione morali.

## §. II.

## Haereticorum argumenta contra primam conclusionem.

**A**rguitur primò: Nam si homo vere, & proprie possit aliquid à Deo mereri de condigno, homo per suum meritum acquireret ius ad praemium apud Deum; sed hoc non potest dici: ergo homo non potest vere, & proprie, & de condigno mereri aliquid à Deo. Minor probatur primò: nam per opus, quod non credit in utilitatem Dei, sed in utilitatem hominis, & aliàs est debitum Deo pluribus titulis, non resultat in homine vere, & proprie ius ad aliquod praemium apud Deum; sed talia sunt opera iustorum: & propterea Lucae 17. dicitur: *Cum feceritis omnia, quae praeccepta sunt vobis, dicitis, serui inutilis sumus quod debuimus facere, fecimus:* ergo hominis operibus non potest acquirere aliquid veterum ius in ordine ad Deum. Secundò: nam iuri existenti in homine per ordinem ad Deum respondet in Deo debitum in ordine ad hominem; sed repugnat Deum esse homini debitorem ad reddendum aliquid praemij: nam, vt inquit D. Thom. 2. 2. quaest. 80. art. 1. ad 3. inferiori non est aliquis obligatus, in quantum est inferior: ergo idem, quod prius.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad primam eius probationem respondet D. Thom. in praef. art. 1. ad 2. his verbis: *Dicendum, quod Deus ex bonis operibus nostris non quaerit utilitatem, sed gloriam, id est manifestationem suae bonitatis, quod etiam ex suis operibus quaerit. Ex hoc autem, quod eum colimus, nihil ei accrescit, sed nobis, & ideo meremur aliquid à Deo, non quasi ex nostris operibus aliquid ei accrescat, sed in quantum propter eius gloriam operamur, & dependentur à pacto illius. Et ita videmus, quod servus, accedente pacto ex promissione, potest mereri à Domino libertatem. Testimonium Lucae solum probat, quod Deus non teneatur*

teneatur nostris operibus premiare ex toto rigore iustitiae, & seclusa ipsius promissione. Ad secundam probationem etiam responderet Div. Thom. ibidem ad 3. vbi ait: *Dicendum, quod quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex praesuppositione divinae ordinationis, non sequitur, quod Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est, vt sua ordinatio impleatur.*

**A**rguitur secundò: Nam meritum simpliciter tale, seu de condigno non datur, nisi in ordine ad mercedem simpliciter talem: nam meritum, & merces sunt correlativa; sed id, quod Deus tribuit pro meritis nostris, non potest habere rationem mercedis simpliciter talis: ergo nec meritum in ordine ad Deum potest esse simpliciter tale, seu de condigno. Minor probatur: Nam merces dicitur id, quod redditur ex iustitia pro suo opere, vel labore; sed Deus nequit ex iustitia recompensare opera nostra, quia inter inaequales nequit dari simpliciter iustitia, vt docet D. Thom. in praef. art. 1. & propterea meritum nostrum apud Deum vocat meritum secundum quod: ergo id, quod Deus recompensat opera nostra, non habet rationem mercedis simpliciter talis.

Ex hoc argumento movetur Vazquez locis supra citatis ad docendum, quod Deus solum recompensat opera nostra ex gratitudine, tenaciter negans Deo rationem vere iustitiae tam distributivae, quam commutativae, asserensque meritum simpliciter tale, & mercedem quoad Deum non esse materiam iustitiae, sed gratitudinis.

Sed haec positio, vtpote singularis, communiter rejicitur à Theologis. Primò, quia, vt inquit Div. Thom. 3. part. quaest. 49. art. 6. *Meritum importat quandam aequalitatem iustitiae.* Unde & Apost. dicit ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Secundò: Nam obsequium recompensandum ex gratitudine est omnino gratuitum, & pure beneficium, & non intuitu mercedis, cui non respondet proprie merces, sed antidotalis remuneratio; sed implicatio in terminis est, quod proprie dicatur meritum opus, quod non exercetur intuitu mercedis, aliàs non esset purum beneficium docente D. Thom. 1. part. quaest. 38. art. 2. quod donum, seu beneficium proprie est actio irreducibilis secundum Philosophum, id est, quod non datur intentione retributionis: ergo implicat etiam, quod opus recompensandum ex gratitudine sit vere, & proprie meritum. Tertiò: Nam si ratio propria meriti consisteret in obsequio recompensando ex gratitudine, sequeretur, quod meritum de congruo strictiori titulo haberet rationem meriti, quam meritum de condigno, quia in materia gratitudinis requiritur remuneratio excedens obsequium gratuitum.

Tom. III. Paul. Theol. Salus.

tum, quod est contra rationem meriti de condigno, in quo praecipue attenditur condignitas intrinseca meriti ad praemium; hoc est contra D. Thom. & omnes Theologos: ergo meritum non proprie potest dici opus, quod ex sola gratitudine retribuendum est.

Maxime: quia virtus gratitudinis non habet locum in Deo, tum, quia incapax est recipiendi ab homine aliquod beneficium recompensandum ex gratitudine, quia omnia opera nostra pluribus titulis sunt ei debita, ob quam rationem Deum esse debitorem ex iustitia negat Vazquez, & revera maior est obligatio ex gratitudine, & indignior Deo, quam obligatio ex iustitia orta ex sua promissione. Tum, quia beneficium, quod inducit debitum ex gratitudine, est proprium superioris respectu inferioris, vt docet D. Thom. 2. 2. quaest. 106. art. 2. quod in nullo vero sensu homini concedendum est respectu Dei. Dicere autem; vt inquit Vazquez in praef. disp. 223. num. 81. quod per beneficium, in quo consistit propria ratio meriti, non intelligitur beneficium proprie acceptum, sed opus Deo gratum; id est, ac concedere in re idem, quod concedunt haeretici, vt num. 3. monimus, & aliunde aburitur terminis beneficij, & gratitudinis contra universalem acceptionem Theologorum, quod in alijs im merito reprehendit circa significationem propriae iustitiae.

**A**lij verò argumento convicti aiunt remunerationem pertinere ad virtutem fidelitatis.

Sed contra est primò: quia hoc est etiam cum haereticis coincidere; siquidem iam concedunt plura opera iustorum esse Deo gratia, aliunde extant plura testimonium aperta, quae ad haec ipsi haeretici nequeunt negare, in quibus Deus promittit se dare gloriam bene operantibus, quam infallibiliter conferet, nisi esset infidelis; & tamen haeretici negant veram, & propriam rationem meriti in ordine ad Deum: ergo in re Authores, qui remunerationem meritorum pertinere ad solam fidelitatem recognoscunt, conveniunt cum haereticis. Secundò: nam meritum proprie tale est opus conferens ius ad praemium, vt liquet ex definitione: ergo ius illius non se tenet praecise ex parte praemiantis, sed etiam ex parte ipsius operis, aliàs remuneratio non esset vere merces, sed gratuitum beneficium; sed ius ortum praecise ex fidelitate solum se tenet ex parte remunerantis ortum duccens ex eius promissione: ergo nequit remuneratio pertinere praecise ad fidelitatem.

**M**issis ergo his modis dicendi respondeatur, quod licet merces à Deo collata intuitu operis meritorij de condigno non conferatur à Deo ex toto rigore iustitiae, potest tamen conferri vere, & proprie ex iustitia vel distributiva, vel commutativa, quia ad neutrum illarum

requiritur aequalitas omnimoda inter personam praemiantem, & inter personam merentem, sed factis est, quod intercedat aequalitas absoluta inter praemium, & meritum, & quod ex parte remunerantis, si est superior, & opus meritorium ei alijs titulis debetur, intercedat pactum, seu promissio. Et quoad iustitiam distributivam est omnino certum (quidquid dicat Vazquez) siquidem debitum ex iustitia distributiva oriri potest ex sola voluntate superioris, qui voluit bona sua propria, & non debita facere communia, & exponere ea meritis inferiorum, & postea distribuere iuxta condignitatem ipsorum meritorum, ad quod nec materialiter, nec formaliter requiritur aequalitas inter personam praemiantem, & merentem. Quid vero dicendum sit de iustitia commutativa, late explicabimus 3. part. quaest. 1.

## §. III.

## Haereticorum argumenta contra secundam conclusionem.

11 **A**dversus secundam conclusionem non conicitur iustus propter sua opera bona ex iustitia: ergo nec opera bona iustorum sunt de condigno meritoria vitae aeternae. Consequentia est legitima: nam meritum est actio, cui ex iure, seu ex iustitia debetur praemium. Antecedens probatur: nam id, quod debetur alicui propter eius opera, non habet rationem gratiae teste Apost. ad Rom. 4. ubi ait: *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*; sed gloria vere habet rationem gratiae iuxta illud eisdem Apost. ad Rom. 6. *Gratia autem Dei vita aeterna*: ergo non conicitur ex iustitia.

Confirmatur primò: Nam meritum de condigno supponit opus habens condignitatem ad praemium; sed opera bona iustorum non habent condignitatem cum gloria: ergo iustus non meretur de condigno vitam aeternam. Minor probatur ex illo Apost. ad Rom. 8. *Non sunt condigne passionibus huius temporis ad futuram gloriam*: ergo non meretur de condigno gloriam.

Confirmatur secundò ex SS. PP. nam D. Bernard. serm. 1. de Annunt. ait: *Neque talia sunt hominum merita, ut propterea vita aeterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, si eam non donaret*. Et D. Basil. in illud psalm. 114. *Custodiens parvulos Dominus*; haec inquit: *Manet sempiterna requies illis, qui in hac vita legitime certaverint, non ab eorum merita factorum, sed de munificentissimi Dei gratia*. Et D. August. de libero arb. cap. 9. *Maluit Apostolus dicere, gratia Dei vita aeterna, ut intelligeremus, non pro meritis nostris*

*Deum nos ad aeternam vitam, sed pro suam misericordiam perducere.*

Ad argument. respondetur vitam aeternam vocari gratiam, quatenus in radice, & in causa meritum habet rationem gratiae, & in hoc sensu D. August. in psalm. 70. conc. 2. inquit, quod Deus coronat merita nostra, tanquam dona sua. Sed hoc non tollit, quod supposita gratia, & pacto ex parte Dei opera ipsa ex gratia procedentia mereantur de condigno vitam aeternam. Et propterea Basil. orat. ad divites ait: *Opera ostende, & exige retributionem*. Et D. August. serm. 16. de verbis Apost. inquit: *Illo ergo modo possumus exigere Dominam nostram: redde quod promissisti, quia fecimus, quod iussisti*. Vel potest dici gratia vita aeterna quantum ad excessum ad merita de condigno; nam Deus praemiat ultra condignum.

Ad primam confirmationem sunt, qui respondeant opera nostra ex gratia procedentia non habere ex de condignitatem cum vita aeterna, sed dependenter ab acceptance, & favore extrinseco Dei. Ita Scotus, & Nominales; sed hoc non potest stare, primò: nam ex hoc sequitur, quod homo in pura natura, & per bonum opus pure naturale possit de condigno mereri vitam aeternam accedente favore extrinseco saltem de potentia absoluta, ut concedunt praedicti Authores; sed haec positio non parum favet errori Pelagij asserentis hominem sine gratia posse mereri de condigno vitam aeternam, estque contra Concilia, & PP. decernentia, quod homo sine gratia non potest mereri vitam aeternam, ex defectu non solum divinae ordinationis, sed etiam virium sufficientium ad vitam aeternam: ergo supponunt, quod opera ex gratia facta habent ex se condignitatem ad illam. Secundò: nam haec positio maxime cohaeret cum errore Lutheri, & Calvini, qui ex una parte non negabant acceptance, & promotionem Dei bene operantibus, & ex alia admittebant plura opera Deo placentia; negabant tamen esse de condigno meritoria ex defectu intrinsece condignitatis, fundati in illo Apost. *non sunt condigne &c.* sed id ipsum concedunt Scotista, & Nominales: ergo eorum modus dicendi omnino rejiciendus est. Tertio: nam ad meritum de condigno requiritur, quod valor illius habens dignitatem ad praemium ab intrinseco proveniat; sed valor, quem statuant Scotista, est extrinsecus: ergo impertinens est ad constituendum meritum de condigno. Minor probatur: Tum, quia de ratione essentiali meriti est procedere vitaliter, & libere ab ipso; sed meritum constituitur in actu primo per valorem: ergo valor condignus ad gloriam debet provenire ab intrinseco. Tum etiam: Nam mereri est se movere ad praemium, & sibi acquirere ius ad illud; sed homo non se movet, nec acquirit vere, & proprie ius per id, quod ha-

bet

bet ab extrinseco: ergo. Tum denique: Nam merens de condigno seipsum facit dignum praemio, & se disponit ad illud: ergo contra rationem meriti est, quod dignitas illius proveniat ab extrinseco. Unde, misso hoc modo dicendi:

Ad primam confirmationem respondetur, iuxta dicta num. 6. cum D. Thom. in praef. art. 3. ad 1. his verbis: *Dicendum, quod Apost. loquitur de passionibus Sanctorum secundum eorum substantiam*, hoc est, ut procedunt à libero arbitrio praesilo influxu gratiae: nam opera bona iustorum, ut procedunt à gratia ex influxu charitatis, habent absolutam cum gloria condignitatem.

12 Dices, quod D. Thom. loco proxime citato ad 3. docet, quod gratia, etsi sit aequalis gloriae in virtute, secus verò in actu: ergo opera ex gratia procedentia non sunt absolute condigna gloriae. Probat consequentia: nam haec aequalitas virtualis, quam concedit Div. Thom. non est eminentialis, sed imperfecta ad instar instrumenti, sicut semen arborum; sed haec continentia virtualis non sufficit ad aequalitatem absolutam adhuc in aestimatione morali: & ita videmus, quod qui furatur arborem cum eius fructu, non satisfacit de condigno, si restituat semen arboris: ergo nec opera ex gratia procedentia habent absolutam condignitatem cum gloria. Adde: nam finis vicinus in morali aestimatione excedit media; sed beatitudo, seu vita aeterna est vicinus finis, & gratia cum operibus ex illa procedentibus est medium: ergo.

Propter hanc replicationem Serna cum alijs ab eo citatis in suo erudito tract. de Merito docet, quod in meritis remunerandis per iustitiam distributivam non requiritur aequalitas quantitativa, sed sufficit proportionalis inter meritum & praemium: & ita contingere potest, quod nullus ex oppositoribus ad aliquod beneficium habeat condignitatem quantitativam cum illo, & tamen collatio illius, quae fieret digniori per iustitiam distributivam, esset intuitu meritorum de condigno non condignitate quantitativa, sed proportionali. Et hoc modo Deus remunerat merita de condigno iustorum, quia maior gloria datur magis digno, & minor minus digno.

Sed haec solutio pace tanti viri videtur insufficientis: quia si in ea stemus, haud facile explicare possumus axioma commune Theologorum, quod Deus praemiat ultra condignum, in quo datur intelligi, quod aliquis gradus gloriae conferatur iustis ex pura misericordia, & ultra id quod responderet meritis. Nam si gloria quoad substantiam excedit quantitative merita, difficile explicatur, quis gradus gloriae ex iustitia distributiva correspondeat de condigno quantitati meritorum, & quis conferatur ex

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

pura misericordia, & cur hic conferatur ex pura misericordia, & non ipsa gloria quoad substantiam. ¶ Adde primò: Quia in probabiliori sententia dignitas gratiae adaequat quantitative valorem gloriae, unde continentia illius non est adinstar instrumenti, sed est propria causa principalis. Et paritas D. Thom. non tenet in omnibus, sed tantum quoad efficaciam, hoc est, quod sicut semen arboris perducit ad arborem, & ad fructum eius, ita gratia perducit ad gloriam in gratia perseverantem usque ad mortem. ¶ Adde secundò: Falsum omnino esse gratiam esse proprie medium, & gloriam praesicive sumptam esse finem: quia, ut supra probatum est, filiatio non est propter haereditatem, sed e converso.

13 Unde melius responderet concedendo meritis nostris ex dignitate gratiae condignitatem quantitativam ad gloriam, in qua suppositione optime explicatur, respectu cuius Deus dicitur praemiare ex iustitia, & respectu cuius dicitur conferre ex misericordia. Nam, supposita condignitate quantitativa gratiae quoad substantiam cum gloria quoad substantiam, debet dici, quod in merito quodam modo meretur de condigno gradum ut duo; & si merenti ut duo Deus conferat gloriam ut quatuor, praedictus excessus est ex misericordia, & ultra condignum. Per quod praecipitur tacita replica de prompta ex praedicto axioma. Solum restabat respondere ad probationem, ex qua Serna movetur ad oppositum modum discurrendi. Sed ex proxime dictis facile constat ad eam. Et quando dicitur, quod vita aeterna est finis meritorum, debet intelligi de fine effecto, qui non petit esse absolute perfectior, vel debet intelligi de fine absolute non respectu gratiae, nec meritorum secundum valorem gratiae, sed respectu meritorum quoad substantiam. Quiniam potest finis esse moralis, aut physicus; licet verò finis physicus petat esse absolute potior his, quae sunt ad finem, secus verò finis moralis. Et ita videmus, quod in laborante propter denarium diurnum, labor illius adaequat quantitative saltem in aestimatione morali praemium huiusmodi, cum reddatur ex iustitia commutativa, licet sit finis laboris. Quod verò gratia non ordinetur ad gloriam tanquam ad finem physicum, constat ex maiori eius perfectione, unde quando dicitur, quod vita aeterna est vicinus finis, non debet intelligi visio solitaria accepta, sed ut coniuncta cum gratia, ut alibi diximus.

Ad confirmationem desumptam ex SS. PP. respondetur, tantum negare operibus nostris meritorijs ius rigorosum, seu ex rigorosa iustitia, quod verisimile est, secus verò radicaliter fundatum in promissione divina. Ex quo tantum deducitur, quod Deus praecipue sit debitor sibi ipsi, id est suae promissioni, & no-

Iii 2

hii

bis, non nisi ratione illius, vt docet D. Thom. in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 1. ad 1. his verbis: *Deus non efficitur nobis debitor, nisi forte ex promissa*, & D. August. serm. 26. de verb. Apost. *Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo*. Et ratione huius promissionis, & ratione gratia, à qua merita nostra accipiunt totum valorem ex parte actus primi, meritò vita aeterna vocatur à PP. gratia, & quod donatur ex misericordia, non tamen negat merita nostra dependentia à pacto, & à gratia Dei.

## DUBIUM II.

## Que conditiones requirantur ad meritum?

**M**eritum potest considerari dupliciter, in communi, & in particulari, hoc est, in ordine ad Deum. In presenti dubio tantum agimus de conditionibus requisitis ad meritum in communi, acturi in sequentibus de conditionibus specialibus meriti apud Deum.

## §. I.

Prima assertio necessitatem libertatis ex-  
pofcens.

14 **D**icendum est primo ad meritum necessariò requiri libertatem. Hæc conclusio est de fide, & vt hæretica damnatur ab Innoc. X. in const. quæ incipit: *Cum occasione* hæc propositio Ianfenij: *Ad merendum, & demerendum in statu nature lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*. Hoc decretum forte desumpsit Summus Pontifex ex doctrina D. Thom. quæst. 6. de Malo art. vnico, vbi refellens, vt hæreticam, sententiam aliquorum dicentium voluntatem nostram ex necessitate moveri, hæc ait: *Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus* &c. Et colligitur aperte ex illo Eccles. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non facit, ideo stabilita sunt bona illius* &c. Id ipsum docent Hieronym. in lib. 2. contra Iovin. vbi ait: *Ubi necessitas, nec corona, nec damnatio est*. Div. August. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 7. dicens: *Ipsa divina præscripta non prodesse, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret*. D. Bern. serm. 81. in Cant. Hugo Viet. & alij PP.

Et probatur ratione primò: Nam meritum est proprietas actus boni moraliter, sed ad actum bonum moraliter requiritur libertas saltem quoad exercitium: ergo etiam ad meritum. Maior est D. Thom. suprâ quæst. 21. art. 3.

Minor probata manet tract. 10. num. 1. Et consequens legitimè inferitur ex præmissis.

Secundo: Nam demeritum non est absque libertate: ergo nec meritum. Consequentia constat: nam magis requiritur ad meritum, quam ad demeritum iuxta illud proloquium: *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*. Antecedens verò probatur: nam ad peccatum requiritur libertas, & propterea damnata est illa propositio Baij, nempe, *homo damnabiliter peccat in eo, quod necessariò facit*. Et D. August. lib. 10. Retract. cap. 1. inquit: *Ufque adeo enim peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*: ergo ad demeritum requiritur libertas. Consequentia patet; quia demeritum est proprietas peccati.

Tertiò: Nam inter merentem, & præmiantem debet dari aliquis contractus, itaut merens exhibeat præmianti obsequium, & præmians reddat mercedem; sed ad hoc requiritur libertas: ergo ad meritum requiritur libertas. Minor probatur: nam ad verum contractum requiritur verum dominium eius, super quo contrahitur; sed non fiat verum dominium sine libertate indifferens (pro quo videri debent, quæ diximus tract. 9. disp. 2. dub. 2.) ergo.

15 Sed inquires, an sufficiat ad meritum libertas quoad exercitium? Respondetur affirmative. Tum, quia perfectum dominium sui actus sufficit ad meritum; sed ad prædictum dominium sufficit libertas quoad exercitium, vt late probavimus loco proxime relato: ergo ad meritum sufficit libertas quoad exercitium. Tum etiam: nam Angelus in primo instanti meruit & Christus perfectissime meruit sibi, & nobis, vt traditur in suis locis; & tamen non habuerunt libertatem contrarietatis ad bonum, & ad malum morale: ergo hæc libertas non requiritur ad meritum. Adde: Nam si ad meritum requireretur hæc libertas contrarietatis, eo esset, quia esset maior in linea libertatis; sed hoc est falsum iuxta dicta loco citato num. 15. ergo. Maxime: qui ad demerendum non requiritur libertas contrarietatis ad bonum, & ad malum, sicut nec ad peccandum, & ita damnati peccant etiam si careant prædicta libertate, non tamen demerentur ex defectu viæ; & Angeli mali si post suum primum peccatum amplius manerent in via, demererentur, & non haberent libertatem contrarietatis, ad bonum, & ad malum morale. Pro quibus recolenda sunt, quæ diximus tract. 7. disp. 3. numer. 164.

16 Obijcies tamen illud Eccles. 31. *qui potuit transgredi, & non est transgressus* &c. in quibus verbis solum reputatur præmio dignus, qui potest facere mala, & non facit. Adde: Nam

ad

ad meritum requiritur perfecta libertas, quia est de genere boni, & bonum ex integra causa; sed talis est libertas contrarietatis: ergo.

Ad obiectionem responditur, quod Scriptura ita reputat præmio dignum eum, qui potest facere mala, & non facit, vt non neget esse præmio dignum illum, qui habet plenum dominium sui actus per libertatem contradictionis. Videatur insuper D. Thom. quæst. 26. de Verit. art. 6. & 2. dist. 7. quæst. 1. art. 1. ad 4. vbi Scriptura textum citatum explicat, & exponit per hoc, quod potestas ad peccandum, & non peccare solum conducit ad maiorem manifestationem virtutis. Ad additamentum responditur, quod posse peccare non est maior, aut perfectior libertas, nec species libertatis, vt vidimus loco citato, ideoque Deus est perfectissimè liber, quin habeat potestatem ad peccandum.

Adversus conclusionem adduci solent nonnulla argumenta desumpta ex actu charitatis Christi Domini, & ex actu, quo acceptavit mortem suam ex obedientia, quam supposito præcepto non potuit non acceptare, necnon ex actu charitatis elicito ab Angelo in primo instanti. Ab his, & similibus nunc supercedemus, quia late agitur de eis in proprijs locis, ne eadem repetamus.

17 Quæres, quid dicendum sit de actu cadente sub præcepto, aut metu pœnæ elicito, aut semiplene deliberato? Quantum ad primum actum respondendum est præceptum non ob stare merito proprie tali. Et colligitur ex illo Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Et ex illo Psalm. 118. *In custodiendis illis retributio multa*. Et ratio id suadet: nam præceptum non tollit dominium perfectum actus, quia posito præcepto potest homo illum elicere, & non elicere: ergo actus præceptus ex defectu libertatis non definit esse meritorius; sed nullum aliud caput assignabile est, ratione cuius non sit meritorius, quinimo bonitas moralis crescit ratione præcepti, quod est motivum obedientia: ergo actus cadens sub præcepto est meritorius. Adde: Nam actus cuiusvis virtutis est capax meriti, si addit imperium charitatis: ergo potiori titulo actus obedientia: cum præcellat plurimas alias virtutes; sed motivum specificativum obedientia: est præceptum, vt alibi dicemus, dum agamus de præcepto Christi ad moriendum: ergo. Adde secundò: Nam quis cordatus crederet virum religiosum esse infrioris meriti, quam sæcularem, quia ille omnia ferè opera exercet ex motivo obedientia:, quæ in sua Religione præcepta sunt, secus vero ille? Maneat ergo, quod præceptum non tollit, nec minuit meritum, sed potius auget cæteris paribus.

Nec obest contra hoc illud Luca 17. *Cum feceritis omnia, quæ vobis præcepta sunt, dicit: Servi inutilis sumus* &c. Nam, vt inquit Beda apud D. Thom. in Catena, opera nostra

dicuntur inutilia, non quia desitura maneant vi meritoria, sed, quia non sunt Deo utilis. Vel potest dici, quod sumus servi inutilis, quia nostra opera iuri servitutis Deo sunt debita, & nisi intercederet liberaliter ex parte Dei pactum, non essent meritoria in actu secundò.

18 Quoad secundum actum etiam responditur affirmative. Et probatur: Nam opera ex metu facta, sunt voluntaria simpliciter, vt docuimus tract. 9. disp. 3. num. 29. ergo sunt meritoria. Patet consequentia: nam stante libertate simpliciter nullum restat caput, ex quo meritoria non sint. Accedit ad hoc: Nam attritio supernaturalis ex sua specie procedit ex metu; & tamen in iusto est meritoria, aliam decedens cum ea tantum non acquireret gloriam per modum coronæ, sed tantum per modum hæreditatis: ergo.

Nec contra hoc obest, quod contractus matrimonialis ex metu gravi factus est invalidus. Nam hoc non oritur ex iure naturali, & propter defectum libertatis ad illum sufficientis, sed ex iure positivo.

19 Quantum ad tertium actum respondetur non esse simpliciter meritorium, hoc est, vitæ aeternæ. Et probatur: nam meritum vitæ aeternæ est meritorium simpliciter: ergo requiritur ad illum libertas simpliciter; sed actus semiplene deliberatus non est liber simpliciter, sed tantum secundum quid, vt supponimus: ergo non est meritorium simpliciter, hoc est, vitæ aeternæ. Confirmatur: Nam actus malus semiplene deliberatus non est demeritorius simpliciter, seu vitæ aeternæ, quia ad demerendum vitam æternam requiritur peccatum grave, quod sine plena deliberatione, seu libertate stare non potest: ergo idem dicendum est de merito. Confirmatur secundò: Nam bonitas moralis, quæ sit simpliciter talis, requiritur ad meritum; sed actus semiplene deliberatus, vel nullam habet bonitatem moralem, vel exiguam, & tantum secundum quid: ergo non est meritorius simpliciter.

## §. II.

Assertio secunda necessitatem bonitatis morales  
vis persuadens.

20 **D**icendum est secundò ad meritum vitæ aeternæ requiri bonitatem moralem in actu. Et probatur breviter: Nam actus carens omni bonitate morali, vel est malus, vel indifferens in individuo, sed neuter potest esse meritorius: ergo ad meritum necessariò requiritur bonitas moralis. Minor quoad primam partem suadetur: siquidem actus moraliter malus est demeritorius; demeritum enim est proprietas malitiæ moralis: ergo ratione

na-

malitia nequit esse meritorius. Quoad secundam partem etiam offenditur; tum, quia actus indifferens non est moralis, ut probatum est tract. 10. disp. 3. dub. 2. sed meritum, & demeritum sunt proprietates actus moralis ut moralis, ut docet D. Thom. supra quest. 21. art. 3. & 4. ergo actus indifferens non est meritorius. Tum etiam: Nam actus indifferens, quia indifferens, non est bonus, nec malus; sed quia non est malus, non est demeritorius: ergo quia non est bonus, non est meritorius. Patet consequentia quia non est, cur sit potius pramio, & laude dignus, quam poena, & vituperio.

21 Adde his primò, quod data hypothesei apud alios probabili, quod idem num. actus esset simul bonus, & malus moraliter, non esset meritorius simpliciter adhuc ea parte, qua esset bonus. Et ratio est, quia actus simpliciter meritorius debet esse in obsequium Dei pramiantis: generaliter enim opus meritorium debet esse in obsequium illius, apud quem quis meretur; sed actus aliqua parte malus nequit esse in obsequium Dei: ergo nequit esse simpliciter meritorius apud Deum. Minor probatur: Nam quod non potest ordinari in Deum ultimum finem, non potest fieri in obsequium Dei; sed prædictus actus ex aliqua parte malus non potest ordinari in Deum ultimum finem, adhuc qua parte est bonus: non formaliter, quia, ut vidimus tract. 10. num. 75. amor Dei nequit ex aliqua parte vitari, & eo ipso, quod actus ex aliqua parte vitatur, destruitur essentia amoris Dei super omnia, ad quem spectat ordinare se, & omnia ad Deum tanquam ad ultimum finem: nec virtualiter; nam actus, qui est incapax ordinationis formalis in Deum per charitatem, etiam est incapax ordinationis virtualis: ergo actus aliqua parte pravus nequit esse in obsequium Dei, adhuc qua parte esset bonus.

Adde secundò; ad meritum vite æternæ, seu simpliciter tale requiri aliquam bonitatem ordinis supernaturalis. Et probatur: Nam meritum simpliciter est meritum de condigno, quod petit habere condignitatem, & æqualitatem cum pramio; sed actus bonus moraliter omni bonitate supernaturali destitutus nequit habere condignitatem cum vita æterna: sicut nullum ens mere naturale habet proportionem cum ente aliquo supernaturali, ut late probavimus tract. de gratia: ergo ad meritum simpliciter requiritur in actu aliqua bonitas supernaturalis. Sed de hoc amplius sermo infra redibit.

\*\*\*



## §. III.

*Affertio tertia postulans ad meritum actum positivum.*

22 **D**icendum est tertio ad meritum requiri persè actum positivum. Hæc assertio duo includit, & requirit ad meritum actum positivum absolute, & requiri persè. Utraque pars deducitur ex D. Thom. 1. 2. quest. 71. art. 5. ad 1. ubi ponens discrimen inter meritum, & demeritum, hæc ait: *Peccatum potest contingere, sive aliquis faciat, quod non debet, sive non faciendo, quod debet. Sed meritum non potest esse, nisi aliquis faciat voluntarie, quod debet. Et ideo meritum non potest esse sine actu, sed peccatum potest esse sine actu; sed iuxta sententiam Div. Thom. quamvis ad peccatum requiratur absolute aliquis actus, ut vidimus tract. 9. disp. 1. num. 37. non tamen requiritur persè, ut ex ipso Ang. Mag. ostensum est ibi num. 33. ergo vel nullum est discrimen quoad hoc inter meritum, & demeritum, contra D. Thom. vel ad meritum non solum absolute, sed etiam persè requiritur actus positivus.*

Prima pars probatur ratione. Nam meritum debet consistere in exercitio libero voluntatis, quia habitibus, aut obiectis non meremur, aut demeremur formaliter; sed omisio pura nequit esse exercitium voluntatis, ut nunc supponimus ex dictis loco proxime relato: ergo ad meritum requiritur absolute aliquis actus.

Confirmatur. Nam sicut ad demeritum requiritur malitia moralis, ita ad meritum bonitas moralis; sed ad malitiam moralem requiritur absolute aliquis actus, nequit enim esse peccatum absque aliquo actu: ergo etiam ad bonitatem moralem, ad meritum requiritur absolute aliquis actus.

23 Secunda pars ostenditur. Nam nulla omisio potest esse intrinsecè bona; sed bonitas moralis est fundamentum meriti: ergo nulla omisio potest esse intrinsecè meritoria: ergo actus positivus requiritur persè ad meritum. Hoc ultimum consequens legitime deducitur ex primo: quia si omisio non est intrinsecè meritoria, quæ nec bona, tantum est bona & meritoria extrinsecè, denominatione proveniente ab actu; in qua suppositione actus requiritur persè ad bonitatem, & meritum omisionis furandæ. Maior probatur: nam bonitas moralis consistit in tendentia positiva ad obiectum conformem rationi: est enim quædam conformitas positiva cum ratione, & obiecto virtutis; sed positiva tendentia nequit convenire intrinsecè omisioni, ut ex se patet, ergo nulla omisio potest esse intrinsecè bona.

Et

Et hæc apparet latum discrimen inter omisionem bonam, & malam, quod ad omisionem malam non requiritur tendentia positiva in obiectum consonum rationi, sed satis est persè loquendo, quod quis deviet a ratione, omitendo actum debitum. Ad bonitatem verò moralem necessarium omnino est, quod quis tendat positive circa obiectum bonum. Et hic habet locum axiomata illud D. Dionysij: *Bonum ex integra causa, & malum ex quocumque defectu*, quod ad præsens intentum adducit D. Thomas loco supra relato.

Probatur secundò eadem pars: Nam meritum est via & motus ad pramium; sed omisio actus mali non est via seu motus ad pramium, sed potius quies & privatio motus: ergo ipsa intrinsecè nequit esse meritoria. ¶ Et confirmatur. Nam ad meritum requiritur relatio positiva formalis, vel virtualis in Deum ultimum finem; sed omisio non est capax relationis intrinsecè positivæ in Deum ultimum finem: quia quod nihil est, nihil intrinsecè potest recipere: ergo.

Probatur ultimò, evellendo vnam ex precipuis fundamentis oppositæ sententiæ. Nam ideo omisio actus mali esset meritoria, quia per eam homo adimplet præceptum; sed hæc ratio est nulla: ergo non est meritoria. Minor probatur: Tum quia præceptum, quod adimpletur per omisionem, utpotè negativum, non obligat ad aliquod bonum, sed præcisè ad non faciendum malum. Tum etiam: nam præcepta quoad substantiam possunt servari non solum per actum non bonum, sed etiam per actum malum, ut constat in auditione sacri ex sine pravus; constat autem actum malum non esse meritorium: ergo ex eo, quod omisio sit adimpletiva præcepti, non sequitur esse meritoriam.

24 Obijcies tamen primò cum sententia contraria, quam tenet Ripalda cum alijs recentioribus. Nam omisio actus mali est moraliter bona: ergo est capax meriti intrinsecè. Antecedens probatur primò: nam omisio actus mali est digna laude, & assignatur ei pramium: in cuius signum videmus, quod Ecclesi. 31. laudatur vir iustus, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino. ¶ Secundò. Nam omisio actus mali potest esse intrinsecè voluntaria iuxta dicta tract. 9. disp. 1. num. 65. sed omisio voluntaria nequit esse indifferens in individuo, sicut nec actus, persè loquendo, & aliunde non est mala: ergo est bona moraliter. ¶ Tertio. Nam prædicta omisio est moralis, utpotè subiecta regulis morum, idest præcepto: ergo vel est bona, vel mala moraliter, non enim datur alia tertia species moralitatis; sed non est mala: ergo bona. ¶ Quarto. Nam volitio non furandæ, seclusis alijs, est bona moraliter per ordinem ad omisionem obie-

cive sumptam: ergo ipsa omisio, si est exercitium liberum voluntatis etiam est bona moraliter. Antecedens probatur: nam omisio non furandæ est obiectum pariale universalis iustitiæ, idest virtutis in communi, ut docet D. Thom. 2. 2. quest. 79. art. 1. ex illo psal. 33. *Declina a malo, & fac bonum*: ergo est obiectum moraliter bonum: ergo volitio non furandæ per ordinem ad eam, seclusis alijs, est moraliter bona.

Et confirmatur. Nam gratia solum concurrat ad opera moraliter bona; sed gratia requiritur ad omisionem, qua vincitur gravis tentatio: nam homo sine gratia speciali nequit resistere gravi tentationi: ergo talis omisio intrinsecè est meritoria.

Obijcies secundò. Nam omisioni promittitur pramium: ergo est verè meritoria. Antecedens probatur tum ex illo Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serpa mandata*; sed per omisionem homo servat mandata: ergo omisioni promittitur ei pramium. Tum etiam: Nam vincenti tentationem promittitur pramium, iuxta illud Apoc. 2. *Vincenti dabo edere de ligno vite, quod est in paradiso Dei mei*; sed per omisionem homo potest vincere tentationem gravem ad faciendum malum: ergo. His addi potest, quod omisio actus mali est saltem extrinsecè meritoria, ad eum modum quo actus externi hoc pacto sunt meritorij.

25 Ad primam obiectionem respondetur negando antecedens. Et ad primam eius probationem respondet rectè D. Thom. loco in eâ allegato ad 2. his verbis: *Declinare a malo, secundum quod ponitur pars iustitiæ, non importat negationem puram, quod est non facere malum: hoc enim non meretur palmam, sed solum vitam pœnam. Importat autem motum voluntatis repudiantis malum, ut ipsum nomen declinationis ostendit. Et hoc est meritum, præcipue quando aliquis impugnatur, ut faciat malum, & resistit. Unde quando in Scriptura laudatur iustus, eò quod potuit transgredi, & non est transgressus, sub intelligi debet, non propter non transgressionem negativam, sed propter non transgressionem contrariam includentem voluntatem obediendi Deo, vel adhærenti opposito bono, ut in responsione ad quartam probationem magis explicabimus.*

Ad secundam, & tertiam probationem respondetur, quod nullus alius casus potest fingi, in quo omisio actus mali sit voluntaria, iuxta dicta loco in secunda probatione citato, nisi dum actus malus præcedit, & immediate homo voluntarie omittit. Et permissio gratis, omisionem tunc casus esse voluntariam, non propter eam tenemur concedere omisionem actus mali ex hoc præcisè motivo esse moraliter bonam, nisi tantum extrinsecè, & quando supponit

ponit voluntatem, seu amorem circa aliud motum positivum honestum. Et quamvis sit ex ipso suo motivo initiative moralis, & subiecta hoc modo regulis morum, id est praecepto negativo; non tamen completive, nempe praecepto positivo faciendi bonum: ut autem esset bona moraliter, non sufficit conformitas cum primo praecepto, sed ulterius requiritur conformitas cum secundo. Quod non incongrue declaratur per illa verba: *Declina à malo, & fac bonum*: quibus inuitur declinare à malo intrinsece non esse bonum. An verò praedicta omisio sit indifferens in individuo, iam declaramus.

Ad quartam probationem respondetur, quod volitio non futandi per ordinem ad omisionem furti obiectivè sumptam, secluso alio sine honesto positivo, non est bona moraliter, neque ipsa omisio potest esse obiectum moraliter bonum, nisi assumatur ut medium ad aliquam finem positivum honestum: & hoc pacto tantum potest inspicere ab aliqua virtute, puta obedientia, iustitiae specialis &c. Et si praedictus finis secludatur, nequit esse obiectum alicuius virtutis, sed se habet tanquam indifferens. Et ratio est clara, nam omisio, sive exercitium positivum circa eam, nequit esse exercitium primum nec ipsa obiectum primum virtutis, sed secundarium, ut non obscure docet D. Thom. loco relato in corp. Si autem sumatur ut obiectum primum, sublato omni alio obiecto primario positivo virtuoso, solum potest remanere in ratione obiecti indifferens. Quocirca de ea idem iudicium ferendum est, ac de alijs obiectis secundum se indifferens, & de exercitijs positivis versantibus praecise circa ea.

Ad confirmationem respondetur, ad vincendam gravem tentationem positivè, & propter finem honestum requiritur gratiam specialem, secus verò ad vincendam eam purè omisivè, sicut nec ad vincendam illam ex aliquo pravo sine.

26 Ad secundam objectionem respondetur, negando antecedens. Et ad primum testimonium Scripturae dicendum est, sensum illius esse non de adimplentione praeceptorum quoad substantiam praecise, sed etiam quoad modum, ita ut sit opus virtuosum, & relatum in Deum per charitatem. ¶ Ad secundum respondetur cum D. Thom. in 3. dist. 31. quaest. 1. art. 3. aliud esse non vincere à tentatione, aliud vincere tentationem propter finem honestum. Primum tantum dicit omisionem consensus in peccatum: secundum addit actum positivum superantem motum tentationis in pugna propter bonum finem; & huic victoriae positivae promittitur praemium, secus verò purè omisioni, ratione cuius, licet non vincatur à tentatione, non tamen vincit tentationem: cuius signum est, quòd

homo instante gravi tentatione, in qua est periculum consentiendi, si purè omisivè se haberet, graviter peccaret, quia teneretur ratione periculi positivè resistere, & postulare à Deo auxilium ad resistendum.

Ad additamentum facile respondetur ex dictis negando assumptum, sive omisio actus mali esset voluntaria, sive non sit voluntaria. Si enim non est voluntaria, adsumptum comparari valet respectu voluntatis per modum obiecti; actus verò externus comparatur ad illum per modum effectus ab ea procedentis: Et hac discriminis ratione actus externus est meritorius intrinsece, secus verò omisio. Si verò fingatur voluntaria, estò possit denominari extrinsece meritoria ab actu bono, quem necessitudo debet supponere, quo pacto etiam actus externus denominatur extrinsece ab interno voluntatis; aliter tamen, & aliter: nam clargitio elemosynae v. g. directè, persè, & per ordinem ad obiectum directum est bona, vel ipsa secundum se est obiectum honestum, secus verò omisio actus mali, nisi aliud obiectum, seu finis honestus accidentaliter adiungatur. Fateamur tamen, quòd si actus exterior est secundum se indifferens, & ordinatur ad honestum finem, idem iudicium ferendum est de omisionem voluntaria ordinata ad bonum finem, ac de actu externo.

### DUBIUM III.

*An ad meritum apud Deum requiratur ex parte merentis status via: Et an ex parte Dei necessarium sit pactum.*

**E**xplicatis conditionibus generalibus meriti, accedimus ad exponendas duas alias condiciones in titulo propositas, quibus magis appropinquamus ad assumptum praecipuum huius dispositionis, quod est meritum iusti in ordine ad vitam aeternam.

#### §. I.

*Triplex assertio status viae praerequirens, & declarans.*

27 **D**icendum est primò, ad meritum iuxta praesentem providentiam requiri statum viae. Ita expressè D. Thom. pluribus in locis, praesertim 2. 2. quaest. 13. art. 4. ad 2. ubi ait: *Mereri, & demereri pertinet ad statum viae*. D. Thomam sequuntur communiter Theologi, licet in assignando statum viae nonnullam dissidium sit inter illos. Et praescindendo à designatione praedicti status, quae praecipue pendet ex dispositione divina in scripturis sacris.

Pro-

Probatum hac brevi, & efficaci ratione: Si quidem meritum est via & motus, quo homo tendit ad praemium, ut docet D. Thom. 1. part. quaest. 62. art. 9. his verbis: *Mereri est eius, qui movetur ad finem*; sed motus est actus existens in via, & tendens ad terminum: ergo meritum debet procedere ab homine existente in via seu viatore.

28 Tripliciter potest responderi huic rationi, & reducitur ad explicandum triplicem modum existendi in via. Primò potest dici, quòd homo est viator in ordine ad praemium talis meriti, quamvis absolute sit in statu beatitudinis, & ita potest mereri augmentum gloriae essentialis. In quo sensu Magill. sent. 2. dist. 11. videtur exponere statum viae, afferens Angelos usque ad diem iudicii mereri sibi augmentum beatitudinis essentialis.

Secundò potest dici, quòd licet beati non possint mereri augmentum gloriae essentialis, quia sunt in termino beatitudinis, sunt tamen in via usque ad diem iudicii universalis in ordine ad praemium aliquod accidentale, quòd possunt mereri. Qui modus tribuitur B. Alberto, D. Bonnav. & etiam D. Thom. in 4. dist. 50. quaest. 2. art. 1. quaestiuic. 6.

Tertiò potest dici, quòd anima; dum non est in termino principali meriti, qui est beatitudo essentialis, adhuc est in statu viae quoad meritum illius, quamvis sit à corpore separata. Pro hoc modo dicendi refertur Caietanus, quatenus docet, animam separatam in primo instanti separationis, quamvis in illo glorificetur, mereri gloriam essentialem. Et consequenter ad hac viam Angelorum dividit in duo instantia, in quo convenit cum communi sententia Theologorum; differunt tamen ab illis asserens, quòd secundum instans est velut terminus & complementum viae, & in illo simul meruerunt, & habuerunt beatitudinem. Ita 1. part. quaest. 63. art. 6. & quaest. 64. art. 2. His tamen modis dicendi addi post quartus petens tantum in merito quandam prioritatem naturae: ad eum modum quo meritum augmenti gratiae est in via prioritate tantum naturae in ordine ad praedictum praemium. Sed omnes haec sententiae, & modi dicendi refelluntur sequenti conclusione.

29 Dicendum est secundò, statum viae hominibus constitutum ad merendum, sive praemium essentialia, sive accidentalia, durare praecise usque ad instans separationis animae à corpore exclusive. Ita communiter Theologi recentiores cum D. Thom. quaest. 7. de Malo art. 11. ubi ait: *Quia tamen post hanc vitam non est status merendi &c.* alijque in locis infra referendis.

Et probatur primò autoritate sacrae scripturae: Nam Apoll. 2. ad Corinth. cap. 5. ait: *Omnes enim nos manifestari oportet ante* Tom. III. Paul. Theol. Salm.

*se tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*: ubi Apoll. per propria corporis intelligit opera, quae gessit homo, dum erat in corpore, ut exponit D. Thom. ibi lect. 2. & solum ea adducenda sunt in iudicium tanquam merita, vel demerita: sentit ergo opera facta sive in morte, sive post mortem, etiam si sunt bona, aut mala, non adducentur in iudicium, ut reddat Deus eis, tanquam si essent meritoria, aut demeritoria.

Item Ecclesiastes 9. dicitur: *Mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*: ergo nec meritum, quia, ut inquit D. Thom. in praef. art. 1. *Meritum, & merces ad idem referuntur, & sunt correlativa*. Rursus Ecclesiastici 14. *Ante obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud inferos invenire cibum*; id est meritum, vel tempus merendi, ut tenet communis expositio. Et tandem (ut mittamus alia loca) Apoll. ad Galat. 6. inquit: *Deum tempus habemus* (id est in hac vita quae est tempus seminandi, ut exponit D. Thom. ibi lect. 2) *operemur bonum*, hoc est meritorie, ut exponunt communiter interpretes. *Quia veniet nox* (ut dicitur Ioahn. 9. id est mors, ut iuxta sensum tropologicum interpretatur PP. & Expositores) *quando nemo potest operari*, scilicet meritorie.

30 Deinde probatur ratione per exclusivam aliorum modorum dicendi. Et imprimis rejicitur sententia Mag. sent. Tum, quia visio beata ex natura rei est immutabilis, mensuraturque aeternitate participata, ut docuimus tract. 2. de Visione Dei, ob quam rationem docuimus ibi repugnare ipsi conaturaliter augeri tam intensive, quam extensive ad nova obiecta: ergo iuxta providentiam status beatitudinis non est status viae ad merendum augmentum gloriae essentialis. Tum etiam: nam iuxta omnium sententiam anima beata non est in statu merendi augmentum gloriae essentialis: ergo nec Angeli beati. Patet consequentia: nam beati in caelo sunt sicut Angeli Dei, ut dixit Christus Dominus Matth. 22. & eadem est mensura hominis, & Angeli, ut dicitur Apoc. 21.

Nec contra hoc obstat, quòd beatus possit de potentia absoluta mereri intensiorem gloriam, seu aliquod praemium accidentale. Nam hoc non est contra essentialiam meriti, de cuius ratione est, quòd sit via ad terminum, quem meretur; & stat., quòd beatus sit in termino respectu beatitudinis, & ex dispensatione divina sit in via ad ulteriorem gradum, quem non habet. Sed hoc, ut diximus, non est conaturaliter ipsi beatitudini, quae absolute est terminus omnis meriti, & ex natura sua excludit omnem variabilitatem. Et propterea de lege ordinaria, & iuxta praesentem providentiam admittendum

Kkk 204

non esse in statu merendi aliquid, saltem de premio essentiali.

31 Deinde rejicitur secundus modus dicendi admittens in beatis meritum in ordine ad premium accidentale. Tum ex Div. Thom. 1. part. quaest. 62. art. 9. ad 3. ubi ait: *Quidam dixerunt, quod Angeli quantum ad premium accidentale etiam mereri possunt. Sed melius est, ut dicatur, quod nullo modo aliquis beatus mereri potest, nisi sit simul viator, & comprehensor, ut Christus Dominus: Praedictum autem gaudium accidentale de peccatoris poenitentia magis acquiritur ex virtute beatitudinis, quam illud mereatur.* Tum etiam ratione deducta ex D. Thom. nam si beati mererentur aliquod premium accidentale, maxime Angeli ex poenitentia peccatoris, & homo ex resurrectione corporis; sed haec gaudia sunt premia meriti beati in via: sunt enim quid consequens beatitudinem, & pertinet ad eius ornatum & complementum, propter quod cadere debent sub merito gloriae essentialis: ergo non merentur in patria premium aliquod accidentale.

32 Tandem rejicitur tertius modus dicendi constituens statum viae per negationem visionis beatae, quamvis anima sit separata à corpore. Nam anima purgatorij non meretur premium aliquod essentialiale, aut accidentale: ergo status viae non constituitur per negationem visionis beatae. Antecedens probatur tum ex D. Thom. in 4. dist. 21. quaest. 1. art. 3. quaest. 1. ad 4. ubi negat meritum respectu praemij essentialis in purgatorio. Et quaest. 7. de Malo art. 11. excludit meritum in ordine ad quodcumque praemium maxime accidentale, quale est gaudium de abolitione culpe venialis, & omnis poenae, necnon ipsa ablatio culpe, diminutio poenae his verbis: *Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in anima purgatorij tollit quidem impedimentum venialis culpe; non tamen meretur diminutionem, & abolitionem poenae, sicut & in hac vita.*

Tum etiam: nam status purgatorij non est ad proficiendum, sed ad solvendas penas pro culpis praeteritis debitas: ergo neque est status ad merendum.

33 Urgentiùs rejicitur id, quod additur ex Caetano: Nam quamvis metaphysice non repugnet, meritum, & praemium esse in eodem instanti, ut de merito intentionis gratiae, & de ipsa intentione infra constabit, & de merito gloriae essentialis, & de ipsa gloria essentiali non negant NN. Salmant. tract. 21. disp. 28. num. 66. & 75. quatenus meritum potest regulari lumine scientiae infusae collato praeter naturaliter, aut per modum transeuntis; repugnat tamen iuxta communem providentiam, in qua meritum gloriae essentialis regulatur per fidem,

quod sint in eodem instanti meritum gloriae essentialis, & ipsa gloria essentialis: sed omne meritum Angeli regulatum fuit per fidem: ergo repugnat, quod in Angelo iuxta communem providentiam, fuerint simul, & in eodem instanti meritum gloriae essentialis, & ipsa gloria essentialis. Omnia constant, praeter maiorem, quae adhuc videtur certa; alias fides, & visio beatifica possent esse in eodem instanti, quod metaphysice repugnat. Pro quo videantur, quae diximus tract. 7. disp. 3. à num. 149. Hac eadem ratione expungitur illa prioritas naturae, ut insufficientis ad meritum gloriae essentialis, regulatum tamen per fidem, ut liquet: quamvis ex terminis non repugnet meritum, & praemium esse in eodem instanti, ut de merito intentionis gratiae, & de ipsa intentione, necnon de merito gloriae regulato per scientiam infusam, & de ipsa gloria in Christo, aut in Angelo insinuamus.

34 Dicendum est tertio, in obsequium Prothoparentis nostri Eliae, Enoch, & Eliam esse nunc in statu merendi. Haec assertio, licet sit incerta, est tamen satis probabilis. Eamque teneant non solum Auctores utriusque nostrae sacrae Familiae, sed plures ex extraneis, quos referunt, & sequuntur NN. Salm. in praef. disp. 1. dub. 5.

Et probatur ratione: nam si hi sanctissimi viri non essent in statu merendi, maxime quia non sunt in statu viae: etenim de alis conditionibus ad merendum nullus cordate potest dubitare; sed hoc est falsum: ergo sunt in statu merendi. Minor probatur: nam status viae, necessarius ad merendum, non est limitandus ad communem cursum huius vitae sine aliquo solido fundamento desumpto ex scriptura sacra, & SS. PP. sed non est contra scripturam sacram asserere hos sanctissimos viros esse in statu viae, quin potius est magis illi conforme: ergo sunt defacto in statu viae. Minor probatur: nam iuxta scripturam sacram status viae est totum illud tempus, quo anima vnita est corpori, seu totum tempus ante separationem, in quo ambulamus per fidem, ut vidimus num. 29. sed hi sanctissimi viri adhuc sunt in corpore mortali, & defacto moriuntur, sicut alij homines viatores: ergo est magis conforme scripturae sacrae, quod sunt in statu viae, & merendi.

Et confirmatur primo. Nam nullus negabit, quod hi sanctissimi viri merebuntur toto illo tempore, quo praedicabunt contra Antichristum, & voluntate illa, qua offerent se martyrio pro Christo: quare ergo in hoc tempore intermedio non erunt in statu merendi?

Confirmatur secundo. Ideo status praesens istorum virorum non esset merendi, quia, quamvis mortales sint, non sunt tamen conditionibus mortalitatis subiecti, nec lege, & modo communi in corpore mortali vivunt, sicut

alij

alij homines viatores; sed hoc non obstat: tum, quia scriptura sacra praedictum statum positive non excludit, & tantum petit, quod operetur homo ante mortem: tum quia homo in statu innocentiae erat magis liber a conditionibus mortalitatis, & merebatur: ergo.

Adde: Quia magis congruit divinae bonitati, quinimo indignum videtur divinae munificentiae hos sanctissimos viros tanto tempore in hac vita mortali detinere, postea morti subijciendos sicut ceteros homines, & tandiu illos visionem beatam privare, & nihilominus legem statutam hominibus ad merendum ad illos non extendi.

35 Fundamentum vnicum sententiae contrariae desumitur ab inconvenienti, quod videtur sequi ex sententia, quam elegimus, nempe Enoch, & Eliam aequare saltem, & forte excedere in sanctitate Apostolos, & Ioannem Baptistam; sed temerarium est (inquit D. Thom. ad Ephes. 1. lect. 3.) aliquem alium Sanctorum Apostolis comparare: & Matth. 11. ex ore Salvatoris dicitur: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*: ergo non sunt in statu merendi. Sequela ostenditur: nam si in tot annorum curriculis continuò merentur, & non vtcumque, sed valde intense, id est per actum charitatis valde intentum, eorum merita augeant gratiam quasi in infinitum, vel saltem incredibile est non aequare, immo & non superare sanctitatem Ioannis Baptistae, & Apostolorum.

Sed hoc fundamentum non est adeo arduum, quod facile superari non valeat. Respondetur enim, nullum esse inconveniens Eliam, & Enoch Apostolis comparare, & aequales eis constituere in sanctitate, sicut nec est temerarium Apostolum cum Apostolo comparare: Apostolus enim ore pleno vocat plures PP. Eliam, & Enoch, ut videri potest apud NN. Salm. loco supra relato num. 46. Et si maxima illa D. Thom. tener, longius abest ab inconvenienti comparare hos sanctissimos viros Ioanni Baptistae. Maxime quia Christus de Ioanne Baptista praedicat, quod venit in spiritu, & virtute Eliae: Ex quibus verbis infert D. August. super cap. 11. Matth. quod Elias est Ioanni aequalis. Pro quo videantur praeaudati PP. loco citato. ¶ Quibus addi potest, quod ex continuatione meritum Eliae, & Enoch inepte deducitur esse aequales in merito Ioanni Baptistae, & Apostolis: quia certissime tenendum est eorum meritum haud posse comparari merito Deiparae, quod habuit praesens in consensu incarnationis, ob maiorem intentionem charitatis excedentem incomparabiliter tantam, & adeo magnam continuationem meritum Eliae, & Enoch. Et hoc ipsum gratis, & pro solutione argumenti potest proportionabiliter dici de intentione meritum Ioannis Baptistae, & Apostolorum. ¶ Et ut evi-

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

dentius fiat meritum eorum meritum istorum saltem non excedere, nota cum Seria in Operibus Ferre in praef. num. 1192. quod licet Elias, & Enoch semper operentur in statu, in quo sunt, cum connatu sibi possibile, merita eorum non superant intentionem gratiae, quam habent; ita ut si habent gratiam vel centum, eliciant actum intentionem. Apostoli verò, & Ioannes Baptista eliciebant iuxta occasiones, quae occurrerant, actus intensiores ratione auxilij transeuntis, modo infra explicando, dum agamus de merito augmenti gratiae, & propterea eorum meritum poterat aequare, immo & superare, Deo auxiliante, tam continuatam extensionem meritum Eliae, & Enoch.

## g. II.

Alia assertio stabiliens pacti necessitatem.

36 Dicendum est quarto, ad meritum de condigno necessarium esse aliquod pactum ex parte Dei promittentis vitam aeternam pro opere ex se habente valorem & dignitatem intrinsecam. Ita D. Thom. in praef. art. 1. in corp. ubi ait: *Meritum hominis apud Deum esse non potest nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis.* Et ad 3. ait: *Actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex praesuppositione divinae ordinationis.*

Et probatur primo ratione: Defacto datur pactum, seu promissio ex parte Dei de reddendo praemio propter opera nostra bona: ergo praedictum pactum, & promissio omnino necessaria est ad hoc ut opera nostra meritoria sint in actu secundo. Consequentia constat, nam sicut Deus non deficit in necessarijs, ita nihil agit frustra. Antecedens potius debet supponi, quam probari: quia constat aperte ex scriptura divina, maxime ex illa parabola conductorum ad laborem vineae, ubi Matth. 20. dicitur: *Conventio autem facta cum operarijs ex denario diurno, &c.* Ubi per denarium diurnum intelligunt PP. praemium beatitudinis, seu beatitudinem ipsam per modum coronae, & per conventionem significatur ordinatio divina, vt exponit ibi Caletan. & docet Concil. Senon. in decreto fidei cap. 16. Idem constat ex illo Apoc. 2. *Esse fidelis usque ad mortem, & dabitur coronam vitae.* Id ipsum colligitur ex Trid. sess. 6. cap. 16. ubi vita aeterna vocatur merces ex Dei promissione bonis iustorum operibus, & meritis reddenda.

Nec occurrere dicendo, quod defacto fuit pactum ex parte Dei ad hoc, ut merita Christi obligarent ipsum ad illa remuneranda ex iustitia; & tamen non fuit necessarium, ¶ Contra est. Nam probabilis est oppositum, ut videbimus tract. de Incarnat. disp. 1. Ex quo potest

Kkk 2

de



defectum ingens argumentum pro nostra sententia; nam ut Christus suis meritis obligaret Deum ex iustitia, necessaria omnino fuit promissio, seu pactum ex parte ipsius Dei: ergo potiori titulo requiritur pactum ad hoc ut opera nostra sint meritoria in actu secundo apud Deum.

Secundo probatur ratione fundamentali: Nam de ratione meriti de condigno est tribuere merenti ius, non utcumque, sed ex vera iustitia, & inducere debitum ex parte praemiantis; sed homo iustus, etiam si bene operetur, non acquirit ius ad vitam aeternam, nec inducit debitum in Deo ad conferendum praemium, nisi praesupponatur ordinatio, & promissio divinae ergo ad meritum de condigno requiritur ordinatio, promissio, seu pactum ex parte Dei. Maior constat ex dictis dub. 1. & colligitur ex illo Apolt. ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Minor probatur tum ex D. Augusti. serm. 16. *de Verbis Apolt.* ubi inquirens, an homo possit Deo dicere, *Redde mihi, quia dedi tibi?* respondet negative absolute, quasi nos ex nobis id possumus exigere, & statim addit: *Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum ut dicamus, Redde, quod promissisti, quia fecimus, quod iussisti:* ergo, nisi praecedat promissio ex parte Dei, nullum potest esse ius rigorosum, seu ex propria iustitia, nec ex parte Dei debitum rigorosum ad conferendum praemium. Tum etiam: nam nullus alteri constituitur debitor ex iustitia, nisi accipiendo, vel promittendo; sed Deus nequit constitui debitor noster aliquid accipiendo, ut supponitur: ergo solum potest constitui debitor ex promissione. Quae probatio deducitur ex D. Augusti. loco citato his verbis: *Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo.* Tum denique: nam opera nostra bona sunt dona Dei, & semper existunt sub eius pleno dominio, pluribusque titulis ei debita; sed homo non potest acquirere ius, nec inducere debitum in Deo praemiandi, propter id quod est illi debitum, & est ab ipso donante, & retinente dominium, nisi praecedat, vel accedat gratuita ordinatio Dei: ergo.

37 Huic adeo solido fundamento respondent plures tam extra, quam intra Scholam D. Thom. fatendo esse necessariam aliquam ordinationem, seu pactum ad hoc, ut homo mereatur de condigno apud Deum. Dicunt tamen non esse necessariam aliam ordinationem praeter eam, quae imbibitur in voluntate conferendi gratiam tanquam principium boni operis, necnon ipsa bona opera: siquidem gratia ex natura rei ordinatur medijs operibus ad consecutionem vitae aeternae, ut ad finem proprium, & connaturalem. Ita Vazquez disp. 214. cap. 8. & alij Socij. Pro quo modo dicendi referuntur apud Sernan, Caiet. Scoti, Asturic. ex

Shola Thomistica. Et in hoc sensu, ut bene notat Serna, nullus est Theologorum, qui ad veram rationem meriti de condigno non praerogatur aliquod pactum.

Hac solutio non multum exultat a veritate, attenda praesenti providentia, iuxta quam in ipsa collatione gratiae, & bonorum operum includitur intransitive promissio dandi gloriam per modum coronae. Et ratio est: quia ad connaturalem providentiam Dei pertinet homines dirigere ad finem naturalem, & supernaturalem per leges, ut probat D. Thom. 3. Contra gent. cap. 114. Et ut leges observentur, etiam pertinet ad eandem providentiam Dei connaturalem proponere supplicia, & praemia, quibus homines moveantur ad earum observantiam, & ad vitandam earum transgressionem; sed hac propositio praemij, & supplicij est sufficiens promissio, & pactum ad meritum de condigno: siquidem iuxta eam Deus constituitur ut supremus Iudex, & iuste tribuit praemia, & supplicia bene, & male operantibus, ut ait D. Thom. 1. 2. quaest. 21. art. 4. & Deus non operatur ut Iudex vere & proprie, nec vere & proprie praemiat nisi merita rigorosa seu de condigno: ergo in collatione gratiae, & bonorum operum sufficiens promissio ad meritum de condigno includitur iuxta praesentem providentiam. Et propterea diximus, hanc positionem in praesenti providentia non exulare a veritate. At quia praecitati Auctores absolute, & independentes ab ijs quae in praesenti providentia occurrunt, dicunt fortassis, quod ordinatio imbibita in nuda collatione gratiae, & bonorum operum est sufficiens ad meritum de condigno propter connexionem connaturalem illorum cum gloria, in quo aberrant a vero modo dicendi, propterea:

38 Refellitur primò: Nam meritum condignum, prout distinctum a merito de congruo, respicit praemium ut futurum; sed gratia, & eius opera independentes ab alio pacto extrinseco Dei non respiciunt praemium ut futurum, sed mere ut possibile: ergo ordinatio imbibita in collatione gratiae, & bonorum operum essentialiter considerata non est sufficiens ad meritum de condigno. Maior videtur certa: siquidem meritum de condigno est motus tendens ad praemium infallibiliter consequendum, dummodo non interrumpatur; & hoc pacto non respicit illud ut pure possibile, sed ut futurum: sicut quia spes importat conatum, & motum ad finem consequendum, non respicit illum ut possibilem, sed ut futurum. Minor vero probatur: tum quia gratia, & eius bona opera, quae sunt in anima separata, non respiciunt praemium nisi ut mere possibile: nullum enim est decretum, per quod extrahatur a statu possibilitatis ad statum futurationis, quinimò ex Scriptura nobis innotescit adesse decretum positive con-

contrarium: ergo secundum se gratia, & opera eius bona non respiciunt praemium nisi ut mere possibile. Tum etiam: nam gratia secundum se admodum tribuit ius ex natura rei ad gloriam per modum haereditatis: ergo neque gratia simul cum suis operationibus respicit gloriam nisi per modum haereditatis: ergo essentialiter, & absolute respicit illam in ratione praemij tantum ut mere possibilem. Tum denique: nam gratia cum bonis operibus essentialiter est indifferens ad consequendam gloriam per modum coronae, vel non consequendam: ergo collatio illorum non constituit illam ut futuram, & propterea necessarium est aliud decretum antecedens promittens bene operantibus illam per modum coronae. Antecedens constat in animabus separatim.

Refellitur secundò: Nam intuitu meriti de condigno Deus constituitur strictè, & proprie nobis debitor ex iustitia, ut dub. 1. praemonstratum est; sed per nudam collationem gratiae, & bonorum operum Deus non constituitur debitor ex iustitia ad conferendam gloriam: ergo in nuda collatione gratiae, & bonorum operum non fiat vera ratio meriti de condigno in actu secundo. Minor probatur primò: nam per nudam collationem gratiae, & bonorum operum, praecisus alijs, tantum Deus constituitur debitor titulo connaturalitatis, ad eum modum, & non adeo strictum, quo tenetur conferre proprietates producta quantitativa, seu essentialia; sed Deus, producta essentialia alicuius rei, non constituitur debitor ex iustitia ad conferendas proprietates: ergo nec per nudam collationem gratiae, & bonorum operum constituitur nobis debitor ex iustitia ad conferendam gloriam. Secundò: nam, ut supra insinuatum est, Deus non constituitur debitor ex iustitia ad conferendum aliquid ex propria iustitia intuitu illius, quod est illi debitum, estque absolute suum; sed bona elicita a gratia sunt dona sua, sunt sub pleno eius dominio, & illi pluribus titulis debita: ergo secundum se nequeunt Deum constituere nobis debitorem ex iustitia. Recolatur iterum tota ratio secunda, quae iuxta relinquitur ex vi effugij praedicti.

39 Inquires tamen pro exacta rei notitia, quae ordinatio necessaria sit, & sufficiat ad meritum de condigno erga Deum? ¶ Pro cuius luce, nota primò, praeter ordinationem assignatam num. 37. aliam esse quae includitur in voluntate expressa conferendi gratiam, non solum ut est principium operis boni, sed etiam ut est principium merendi. Alteram esse, quae ultra praedictam voluntatem assert decretum conditionatum conferendi praemium bene operantibus, & perseverantibus usque in finem, vi cuius propter sui immutabilitatem Deus infallibiliter conferet praemium, impleta conditione. Tan-

dem aliam esse, quae ultra praedictum decretum addit promissionem: quae voluntas differt a praecedenti in eo, quod praecedens non induit obligationem ex vi promissionis strictae; sed ex alijs capitibus, nempe ex infallibilitate divini decreti, & ex summa veracitate, si est revelatum. Ultima vero voluntas addit supra simplex decretum, simpliciterque manifestationem illius, voluntatem se obligandi ad conferendum praemium, cui, si accedat revelatio, & acceptatio five explicita, five implicita, nihil deest ad rationem pacti rigorosi.

Nota secundò, praemium posse reddi vel ex iustitia distributiva, vel ex commutativa. His praesuppositis:

Respondetur sub disiunctione, ad praemium reddendum ex iustitia tantum distributiva sufficere primam ex ordinationibus, id est eam quae includitur in voluntate conferendi gratiam expresse per modum principij merendi. Sed ad conferendum praemium ex iustitia commutativa, quae iuxta nostram sententiam Deo non repugnat, ut videbimus 3. part. requiritur omnino ultima voluntas asserens pactum, seu promissionem expressam sub conditione operis onerosi; & cum meritum, & praemium sint correlativa, idem dicendum de merito.

Prima pars constat ex D. Thom. in praef. art. 1. ubi ait: *Meritum hominis apud Deum esse non potest nisi secundum praesuppositionem divinae ordinationis, ita scilicet, ut id homo consequatur a Deo per suam operationem, quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit.* Sed non sufficit conferre gratiam, ut est praecise principium operandi, ut num. praecedenti praemonstratum est: ergo requiritur, & sufficit conferre gratiam ut principium merendi.

Et probatur ratione: Nam illa voluntas, seu ordinatio ex parte Dei sufficit ad conferendum praemium ex iustitia distributiva, quae constituit praemium ut futurum; sed voluntas conferendi gratiam ut principium merendi constituit praemium ut futurum saltem conditionate: ergo sufficit ad reddendum praemium ex iustitia distributiva. Maior est certa: nam praemium ut praemium non est futurum, five absolute, five conditionate, nisi ex voluntate Dei absoluta, five conditionata conferendi praemium ut praemium, quae posita, & adimpleta conditione, infallibiliter confertur ipsum praemium, ut supponimus ex dictis tract. 3. & 4. Minor vero probatur: nam voluntas Dei conferens gratiam ut principium merendi, etiam est voluntas conditionata constitutiva opera gratiae meritoria: nam principium merendi ut tale nequit se explicare in actu secundo nisi in operibus meritorijs formaliter ut talibus; sed opera meritoria formaliter ut talia constitunt praemium ut absolute futurum: ergo voluntas con-

ferendi gratiam vt principium meriti constituit illum futurum conditionate.

Ex quo patet, voluntatem secundam supra memoratam sufficientem esse ad meritum de condigno, & ad illud retriouendum ex iustitia distributiva: nam eo ipso, quod Rex statuat distribuere bona, siue propria, siue communia non solum vt Dominus, sed etiam vt Iudex, attendit proportionem meritorum, verè illa proponit vt pramia: ergo potiori titulo Deus, hoc modo proponens gloriam dandam benemeritis, proponit illam vt pramium, quia voluntas eius est omnino immutabilis; sed si Deus habet voluntatem remunerandi bonis proprijs bona opera iustorum, vult distribuere illa non vt Dominus, sed vt Iudex, aliàs donatio illa non esset proprie remuneratio, seu distributio, sed gratuita collatio: ergo ad meritum remunerandum à Deo ex iustitia distributiva satis est diuinam propositum de remunerandis bonis operibus, dummodò adfit reuelatio illius nota, aut implicita.

40 Secunda pars non minus liquet ex D. Th. 2. 2. quæst. 106. art. 1. ad 2. his verbis: *Retributio proportionalis pertinet ad iustitiam commutativam, quando attenditur secundum debitum legale, puta si pacto firmetur, vt tantum pro tanto retribuatur*; ergo iuxta Div. Thom. ad pramium remunerandum ex iustitia commutativa non sufficit quodlibet propositum ex parte Dei, sed etiam promissio illius pacto firmata, quam adesse defectò tenent communiter Theologi. Quod magis constabit ex dicendis 3. part. dum agamus de satisfactioe Christi.

### §. III.

*Opposita sententia nostris assertionibus.*

41 **A**Dversus triplicem conclusionem stabilitam §. 1. sentunt Auctores relati num. 28. In quorum favorem potest argui primò nonnullis testimonijs Div. Thom. deductis ex libris Sent. præcipue ex 4. dist. 50. quæst. 2. art. 1. quæstiuic. 6. vbi docet, Angelos beatos mereri pramium accidentale, & damnatos penam etiam accidentalem. Ibidem dist. 21. quæst. 1. art. 3. quæstiuic. 1. ad 4. quod homo, dum est aliquo modo in statu viæ, potest habere meritum alicuius præmij accidentalis, & ideo in purgatorio potest esse actus meritorius quantum ad remissionem culpæ venialis. Item in 2. dist. 5. quæst. 2. art. 2. affirmat, quod Angeli beati sunt in statu merendi. Et in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 4. quæstiuic. 1. ait, quod possunt in beatitudine proficere. Et tandem 1. part. q. 62. art. 5. alijque in locis, quæ refert Bergomensis in sua Tabula Aurea dub. 160. inquit, quod Angeli beati statim post primum

actum meritorium fuerunt beati; sed in nostra sententia non solum in primo instanti meruerunt, sed etiam in secundo: ergo in hoc secundo instanti meruerunt, & fuerunt beati. Immo quodlib. 9. art. 3. affirmat, quod Angeli in eodem instanti meruerunt, & fuerunt beati.

Ad primum, & secundum testimonium respondetur, quod D. Thom. vel non loquebatur ex propria sententia, sed ex sententia antiquorum Theologorum, vt sibi fatis infinnat: vel retractavit sententiam in locis relatis num. 31. & 32. Vel tandem dic cum Bergomensis vbi supra dub. 157. quod Angeli non merentur merito proprie dicto, sed improprie, id est quasi per modum conditionis, *qua aliqui fiat dignus aliquo: sicut dicitur, quod species Priami digna erat imperio*. Et sic Angeli per ministeria nobis exhibita dicuntur mereri gaudium accidentale. Ad tertium, & quartum eisdem modis respondetur, nempe quod loquitur ex sententia aliorum, vel quod retractavit sententiam loco citato ex 1. part. scilicet quæst. 62. Ad quintum respondetur, quod loquitur de actu meritorio plenè deliberato, qualis fuit, quem elicit Angelus bonus in secundo instanti, non de actu primo vtcumque meritorio. Ad sextum dicendum est cum Bergomensis dub. 154. quod Div. Thom. loquebatur secundum opinionem aliorum, quam ipse 1. part. quæst. 62. art. 4. & 5. ad 2. non tenet.

42 Arguitur secundò. Nam anima in primo instanti separationis à corpore potest mereri: ergo male exclusimus prædictum instans à statu viæ, seu à statu merendi. Antecedens probatur. Tum quia martyr meretur laureolam martyrij; sed non ante mortem, cum ad rationem martyrij requiratur, quod mors verè, & cum effectu sequatur: ergo anima potest mereri in primo instanti separationis. Tum etiam: nam potest accidere, quod homo adultus in primo instanti vsus rationis sit in peccato mortali, & postea consecratur cum sola attritione, & ante abolitionem amittat vsus rationis, & postea absoluitur; sed iste mereretur in primo instanti separationis animæ; aliàs consequeretur gloriam præcisè per modum hæreditatis, & non per modum coronæ, cum in vita non haberet vllum actum meritorium: ergo. Tum denique: nam non minus requiritur ad hoc, vt iustus se disponat ad remissionem peccati venialis, & ad recipiendum augmentum gratiæ, quam ad merendum tale augmentum, & remissionem; sed anima purgatorij se disponit ad vtrumque: ergo.

Ad hoc argumentum respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, quod sicut Christus (præoccupatur alia probatio) non meruit per mortem in facto esse sed in fieri, vt docet Div. Thom. 3. part. q. 50. art. 6. ita martyr non meretur per

ipsam

ipsam mortem in facto esse laureolam martyrij, sed per voluntariam acceptionem illius ante mortem elicitam, ad quod requiritur per modum conditionis, quod reipsa sequatur mors, nisi miraculosè impediatur, quia tunc etiam meretur laureolam martyrij, dummodò perseveret in fide vsque ad mortem, & moriatur in gratia. Ad secundam: Respondetur posse concedi absque vilo inconvenienti, quod adultus in illo casu consequatur gloriam per modum hæreditatis. Ad tertiam: Respondetur, quod actus charitatis, quem anima purgatorij elicit, est ex natura sua physica dispositio gratiæ, & augmenti illius iuxta intentionem ipsius actus, & gratiæ. Pariterque est forma impossibilis cum peccato veniali, ideoque non est mirum, quod disponat ad vtrumque effectum. Ceterum meritum convenit illi accidentaliter, & ex dispositione diuina, iuxta quam requiritur status viæ durans præcisè vsque ad mortem exclusivè. Et hac ratione non potest mereri post sui separationem à corpore.

43 Contra quartam, & vltimam conclusionem stat Vazquez cum alijs socijs, vt vidimus num. 37. Et arguitur primò ex D. Thom. supra quæst. 21. art. 4. vbi docet actum, in quantum est bonus, vel malus, habere rationem meriti, vel demeriti apud Deum, hæcque rationes esse proprietates boni, & mali; sed esse bonum competit actui independentè ab ordinatione extrinseca Dei: ergo independentè ab ea est meritorius apud Deum.

Et confirmatur. Nam ad meritum de condigno sufficit, quod merces tribuatur ei ex iustitia distributiva; sed ad hoc vt Deus tribuat mercedem ex iustitia distributiva, non requiritur vllum pactum, aut ordinatio ex parte Dei. Minor probatur: non requiritur debjctum ex parte Dei ad distribuenda præmia, vt docet D. Thom. 2. dist. 27. quæst. 1. art. 3. ad 4. his verbis: *In iustitia distributiva non requiritur ratio debiti ex parte eius, qui distribuit: potest enim ex liberalitate aliqua distribuere; in quorum tamen distributione iustitia exigitur, secundum quod diversi, prout eorum gradus exigit, proportionaliter distribuit*. Quæ doctrina explicatur exemplo Ducis exercitus, qui spolia inimicorum sibi ex iure attinentia distribueret in milites, qui strenuè pugnauerunt, servata proportione suorum meritorum: absque vilo enim debito ex parte ipsius exerceret actum iustitiæ distributivæ. Idem contingeret in eo, qui ex bonis suis vellet præmiare Poëtæ, qui elegantiora poemata scriperunt in laudem alicuius sancti, nulla præcedente promissione, proportioneque servata: talis enim proculdubio ea distribuere absque vilo debito, non præcisè vt dominus, sed etiam vt Iudex, ex iustitia distributiva: ergo neque requiritur pactum, aut ordinatio ex parte Dei ad hoc vt tribuat mer-

cedem ex iustitia distributiva: cum nullus efficiatur debitor alterius nisi ex acceptis, vel promissis.

Ad argumentum, respondetur, Div. Thom. solum intendere actum bonum habere rationem meriti apud Deum, si adiant alia conditiones ad meritum necessaria, inter quas est status viæ, & quod operatio bona sit in obsequium Dei, vt docet ipse D. Thom. in 3. part. quæst. 19. art. 3. Pariter ergo requiritur ordinatio Dei, quia prædictus actus alijs titulis est illi debitus. Potest tamen addi, quod meritum in actu primo est proprietas actus boni bonitate condigna cum pramio, secus verò in actu secundo.

Ad confirmationem respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Et ad eius probationem auctoritate Div. Thom. compactam, dicendum est, dupliciter posse Deum ordinare opus meritorium ad pramium primò, itaut ordinatio sit prævia ad opus meritorium: secundò, itaut præsupponat opus meritorium, post cuius prævisionem statuat præmiare opus prævisum. Inter quæ hæc est differentia, quod opus primo modo ordinatum in ipsa sui elicientia acquirit ius ad pramium: & hoc est debitum operi, & Deus, licet non constituat absolute debitor nobis, sit tamen sibi vel suæ ordinationi debitor. Ceterum opus posteriori modo ordinatum, in prima sui elicientia non acquirit ius ad pramium, nec est meritorium; postea verò ex vi ordinationis subsequentiæ fit meritorium. Et in hoc sensu docet D. Thom. quod *in iustitia distributiva non requiritur ratio debiti ex parte eius, qui distribuit*, vt liquet in exemplis allatis: siquidem Deus non movetur ex condignitate operis meritorij ad illud ordinandum ad pramium, sed ex pura liberalitate. Chimæricum tamen est opus meritorium apud Deum sine vna, vel altera ordinatione, & absque debito ex parte Dei, orto saltem ex sui ordinatione.

44 Arguitur secundò. Nam per hoc, quod actus procedat à gratia media charitate, est meritorius vitæ æternæ in actu secundo: ergo non requiritur pactum, seu vlla promissio ex parte Dei. Antecedens probatur: tum quia talis actus est dignus vitæ æternæ; sed nihil aliud requiritur ad merendum in actu secundo: ergo per hoc præcisè, quod actus procedat à gratia, & charitate, est meritorius vitæ æternæ in actu secundo. Tum etiam: nam quia gratia est condigna vitæ æternæ, tribuit ius ad illam per modum hæreditatis; sed non minus condigna sunt vitæ æternæ per modum coronæ opera in charitate facta ergo.

Confirmatur primò. Nam eo ipso, quod homo sit elevatus ad finem supernaturalem, per operationes à gratia elicatas tendit ad consequationem gloriæ vt finis proprii independentè à

quæ